

PRAEPARATA
ET
COMPOSITA.

PRÆPARATA
ET
COMPOSITA



PRÆPARATA

ET

COMPOSITA.

ACETUM COLCHICI.

Rec. Radicis Colchici recentis, succulentæ,
dissectæ, Unciam unam,
Aceti vini Libram unam.

MACERA leni calore per biduum et postea
cola cum expressione.

ACETUM CONCENTRATUM.

ACETUM vini rigida hyeme in vase ligneo
concreseat in glaciem, qua perfracta, acetum
in medio contentum decantheretur. Satis con-
centratum est, si eius Drachma sufficit ad satu-
rationem Salis Tartari Scrupuli unius.

EODEM modo concentratur Succus CITRI,
si ad tertiae partis fluidæ remanentiam gelu
cogitur.

ACETUM DESTILLATUM.

Sive Spiritus Aceti.

ACETI vini circiter quarta pars e cucur-
bita vitrea eliciatur destillatione per alembi-
cum vitreum, balnei calore. Haec phlegma
est. Mutato tum recipiente protrahatur de-

stillatio, quamdiu clarus, nec empyreumaticus
prodit Spiritus, qui fervetur.

ACETUM PROPHYLACTICUM.

Sive Antisepticum.

R. Summitatum herbæ Absinthii Pontici,
Abrotani,
Menthæ crispæ,
Rosmarini,
Rutæ,
Salviæ, Singulorum
Unciam unam cum
dimidia.

Florum Lavendulæ Uncias duas,
Calami aromatici,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis moschatae, Singulorum Drachmas
duas,

Aceti vini Congium unum.

MACERA leni calore per octo dies in cu-
curbita vitrea optime clausa. Colatura cum
expressione facta per chartam trajiciatur.

ACETUM PROPHYLACTICUM
COMMUNE.

Vulgo Acetum Bezoardicum.

R. Radicis Angelicæ Libram unam,
Summitatum Absinthii vulgaris Unciam
unam cum dimidia,

Allii Unciam semis,

Aceti vini Congium unum.

MACERA leni calore per octo dies in cu-
curbita vitrea optime clausa. Cola-

turæ expressæ, per chartam postea trajectæ, adde

Camphoræ, in Spiritus vini q. s. solutz,
Unciam semis.

ACETUM ROSACEUM.

R. Florum Rosæ rubræ siccatorum q. v. Aceti vini octuplum.

IN vase vitreo bene clauso macera leni calore per quatuor dies, et colaturam per chartam trajice.

EODEM modo cum Floribus Sambuci paratur ACETUM SAMBUCINUM.

ACETUM SATURNINUM.

Vulgo Acetum Lithargyri.

R. Lithargyri triti Libram semis,
Aceti vini Libras duas.

IN vase cupreo vel figulino coque leni calore per quadrantem horæ, bacillo ligneo saepius agitando. Quod post residentiam clarissimum est, serva pro usu.

SI Acetum hoc vaporet ad siccitatem, habetur PULVIS EXTRACTI SATURNI.

ACETUM SCILLITICUM.

R. Scillæ siccatae Uncias sedecim,
Aceti vini Congium unum.

MACERA leni calore per dies quindecim; deinde exprime acetum et post subsidentiam cola.

Nota. Ut diutius a fæculis conservetur, ante colaturam addantur Spiritus vini rectificati Unciæ quatuor.

ACETA reliqua vegetabilium simili modo præſeruentur a fœculis, addendo nimirum Spiritus vini rectificati partem circiter vigefimam quartam.

ACIDUM NITRI.

Vulgo Spiritus Nitri acidus ſive Glauberi.

R. Nitri puriffimi, Siccati, Libras duas.

Sub camino, et caute evitando vapores, in retorta vitrea gradatim admisce

Acidi Vitrioli fortis Libram unam.

Ex arena fiat deſtillatio, igne primum leni, deinde validiore.

Nota. Quod in retorta reſtat, aqua calida ſolutum, et addita Solutione Alkali vegetabilis fixi ad ſaturationem, poſteaſque cryſtalliſatum, Sal medium dat ejuſdem naturæ ac TARTARUS VITRIOLATUS, pro quo ſubſtitui poteſt.

ACIDUM SALIS COMMUNIS.

Vulgo Spiritus Salis acidus.

R. Acidi vitrioli fortis Libram unam.

caute adde

Aquæ fluuiatilis Libram unam.

Salis communis pulverati Libras duas.

E RETORTA vitrea ſtatim fiat deſtillatio ad ſiccitatem igne arenæ leni.

Quod in retorta reſiduum eſt, aqua ſolutum et Solutionis Sodæ depuratæ quantitate ſufficiente ſaturatum atque per chartam colatum, cryſtalliſatione dat SODAM VITRIOLATAM vulgo *Sal mirabile Glauberi* dictam.

ACIDUM TARTARI DESTILLATUM.

Vulgo Spiritus Tartari.

R. Tartari crudi pulverati q. pl.

REPLEATUR illo retorta terrea tubulata ultra dimidium, et fiat destillatio igne aperto sensim aucto. In recipiens vas, quod capacissimum esse debet, transibit Spiritus acidus una cum oleo.

Spiritus ille acidus, ab oleo separatus, ex retorta vitrea rectificetur.

Ex residuo, quod in retorta manet, fiat cum aqua fluviatili lixivium, quod per chartam colatum, et evaporando ad siccitatem reductum, SAL TARTARI dat. Si hoc Sal album non est, calcinatione, solutione, colatione et evaporatione repetitis, tale tandem obtinebitur.

ACIDUM VITRIOLI FORTE RECTIFICATUM.

Vulgo Oleum Vitrioli.

R. Acidi Vitrioli fortioris (Olei vitrioli dicti) q. v.

Ex retorta vitrea leni calore fiat destillatio, donec liquor ascendens, roris instar, discretis guttulis in collo retortæ, non ulterius appareat. Liquor clarus in retorta remanens, calidus etiamnum in lagenam vitream siccam, epistomio vitreo munitam, transfundatur, et ab aëris accessu servetur.

C

ACIDUM VITRIOLI TENUE.

Vulgo Spiritus Vitrioli.

R. Aquæ destillatæ simplicis Uncias octo,
Acidi Vitrioli fortis rectificati Unciam
unam.

Caute et gradatim misceantur.

ÆRUGO CRYSTALLISATA.

Vulgo Flores viridis aris.

R. Æruginis q. pl.
Aceti destillati q. s. ad aliquot digitorum
supereminentiam.

In vase vitreo macera et acetum tinctum
decantha. Residuo novum acetum affunde,
macera et per decanationem separa; quod
toties repetatur, donec acetum non tingatur.
Tum Solutiones omnes, per chartam colatæ,
in vase vitreo vaporent ad cuticulam apparen-
tem, et in loco frigido crystallos ponere per-
mittantur. Crystalli, ab adharente liquore
separatæ, leni calore siccentur, et residuus a
crystallis liquor denuo vaporet, ut crystalli
iterum formari queant, quæ eodem modo sic-
catæ cum prioribus servantur.

ÆTHER VINI.

Vulgo Æther Vitrioli sive Spiritus Frobenii.

R. Spiritus vini rectificatissimi,
Acidi Vitrioli fortis, singulorum Libras
tres.

CAUTE commisceantur in cucurbita vitrea,
spiritui gradatim instillando Acidum Vitrioli.
Leni mox igne destillentur primum Unciæ
sex vel octo, quæ separatim servantur ad alios

usus. Recipiente tum mutato, continuetur destillatio leni igne, donec striæ in alembico non ulterius appareant, maxime cavendo, ne massa nigra, in cucurbita manens ascendat et laborem perdat. Liquorem destillatum misce cum Aquæ Calcis limpidae duplo, ut separetur Æther supernatans, qui servari debet in lagena vitrea, epistomio vitreo clausa.

ÆTHIOPS ANTIMONIALIS.

R. Antimonii præparati Unciam unam.

Hydrargyri purificati Unciam semis.

Florum Sulphuris Drachmam unam.

IN mortario vitreo tamdiu terantur, donec hydrargyrus penitus dispareat.

ÆTHIOPS MARTIALIS.

R. Limaturæ Ferri purissimi, non rubiginosi, q. pl.

IN vase vitreo lato affundatur aquæ fluviatilis ad supereminentiam sex digitorum. Limatura quotidie sub aquâ agitetur Spathulâ ligneâ, observando simul, ut aquæ semper eadem quantitas superemineat. Hoc per plures hebdomadas continuato, magna ferri pars in pulverem valde nigrum fatiscit, in aqua per aliquot minuta suspensilem. Aqua illo turbida decantheretur, ut quæra demittat pulverem, qui ab aqua separatus siccare celeriter debet, atque vasis clausis servari.

ÆTHIOPS MINERALIS.

R. Florum Sulphuris q. pl.

Leni calore in vase ferreo capaci liquefactis adjice

Hydrargyri purificati Par pondus.

Spathulâ ferrea assidue agita per dimidium horâ, ut mellis consistentiam semper retineat. Si crassior evadit massa, igne paulum aucto liquefiat, et postquam refrixerit, in mortario ferreo teratur in pulverem, qui per cribrum trajectus affusa aqua super marmor lævigetur.

Fit quoque cum Hydrargyri duplo pondere.

ALUMEN USTUM.

In patina ferrea calcinetur alumen, donec spongiosum evadat.

ANTIMONIUM PRÆPARATUM.

ANTIMONIUM crudum in mortario ferreo, pistillo ferreo tritum et lævigatum cum multa aqua misce et agita. Aquam polline tenuissimo saturatam effunde in vas idoneum, quod sepone. Crassiorem pulverem residuum eodem tracta modo, atque subsidentes pulveres tenuissimos exsicca et serva.

AQUA ALEXITERIA.

R. Foliorum Menthæ crispæ,
Florum Sambuci, modice siccatorum, singulorum Libram unam,
Seminum Angelicæ Uncias quatuor,
Aquæ fluviatilis q. s. ad evitandum empyreuma.

Destillatione eliciantur Congii duo.

Nota. Omnes aquæ destillari debent per alembicum, refrigeratorio, aqua semper frigida impleto, munitum.

AQUA ANETHI.

R. Seminum Anethi Unicas quatuor,

Aquæ fluviatilis q. s. ad evitandum empyreuma.

Destillatione eliciantur Libræ sex.

EODEM modo destillantur *Aquæ Fœniculi* et *Petroselini* seminum.

AQUA AURANTII.

Vulgo Aquæ Naphæ.

R. Florum Aurantii recentium Libras tres,

Aquæ fluviatilis q. s. ut empyreuma evitetur.

Destillatione eliciantur Libræ tres.

EODEM modo destillantur *Aquæ Rosarum Damascenarum*, *Sambuci* et *Tiliæ* florum.

AQUA CALCIS.

Vulgo Aquæ benedicta.

R. Calcis vivæ, nuper calcinata, Libram semis.

Sensim affunde,

Aquæ purissimæ Congium unum.

EBULLITIONE peracta vas agitetur, deinde subsideat calx, et aqua per chartam colata, in lagenis rite obturatis servetur.

Nota. Mixtura lactescens, ab Aqua pura et Calce sive Creta rite calcinata parata, Acidis non effervesceat.

Ex testis Ostrearum calcinatis, eodem modo paratur *Aqua calcis Ostrearum*.

AQUA CERASORUM.

R. Fructuum Cerasorum nigrorum, maturorum, cum nucleis contulorum, Libras viginti,

Aquæ fluviatilis q. s. ad evitandum empyreuma.

Destillatione eliciantur Librae viginti.

Eodem modo fit *Aqua Fragorum.*

AQUA CINNAMOMI.

R. Cinnamomi Libram unam,
Vini albi Gallici Libras duas,
Aquæ fluviatilis q. s. ad evitandum empyreuma.

Destillatione elice Libras sex aquæ, in qua solve

Sacchari albissimi Unciam unam cum dimidia.

AQUA COERULEA.

Vulgo Aqua Saphirina.

R. Aquæ Calcis Libram unam,
Salis ammoniaci Drachmam unam,
Æruginis crystallifatae Grana quinque
Misce, atque post solutionem et præcipationem decanta.

AQUA MENTHÆ CRISPÆ.

R. Foliorum Menthæ crispæ recentium Libras quatuor,
Aquæ fluviatilis q. s. ut evitetur empyreuma.

Destillatione elice Libras sex.

EODEM modo destillantur *Aqua Hyssopi, Menthæ piperitidis et Pulegii.*

AQUA PICEA.

R. Picis liquidæ Libras duas,
Aquæ fluviatilis Congium unum.

IN vase ligneo agita bacillo ligneo, deinde per duodecim horas subsidat pix et aqua decantetur.

AQUA PIPERIS JAMAICENSIS.

- R. Piperis jamaicensis Libram semis,
Aquæ fluviatilis q. s. ad evitandum em-
pyreuma.

Destillatione eliciantur Libræ decem.

AQUA SATURNINA.

Vulgo Aqua vegetabilis mineralis.

- R. Aquæ destillatæ simplicis Libras duas,
Spiritus Vini Unciam unam,
Aceti Saturnini Unciam semis.

MIXTA in vase vitreo serva,

AQUA STYPTICA.

Vulgo Liquor Stypticus Weberi.

- R. Aluminis,
Vitrioli cœrulei, singulorum Uncias tres,
Aquæ fluviatilis calidæ Libras duas.
Solutioni per chartam colatæ sensim in-
stilla

A. id. Vitrioli fortis Drachmas duas.

AQUA VITRIOLICA.

- R. Vitrioli albi purificati Drachmas duas,
Aquæ destillatæ simplicis Libras duas.
Solutionem per chartam cola.

AXUNGIE SEVIQUE CURATIO.

A membranis, venulis et fibrillis, quan-
tum fieri potest purgata, conscindantur in fru-
sta, laventur aqua; deinde liquentur leni igne
et post humiditatis evaporationem colentur.

BALSAMUM AROMATICUM.

Vulgo Balsamum Cephalicum Scherzeri.

- R. Olei expressi Nucis moschatæ Unciam
unam.

Ad lenem ignem liquato, et inde remoto, admisce

Olei stillatitii Caryophyllorum,
Lavendulæ, singulorum
Drachmam unam,
Succini Scrupulum semis

BALSAMUM NERVINUM.

Vulgo Balsamum vitæ.

R. Olei stillatitii Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Lavendulæ,
Macis, singulorum Scrupulum unum,
Tincturæ Succini Uncias quatuor.

Misce.

BALSAMUM RUBRUM.

Vulgo Balsamum Italicum sive Locatelli.

R. Cerae flavæ Libram unam,
Radiciis Alcannæ Unciam unam.

Supra lenem ignem admisce

Terebinthinæ Venetæ Libram unam cum dimidia.

Colatis et fere refrigeratis adde

Balsami Peruviani Uncias duas.

BALSAMUM SULPHURIS SIMPLEX.

R. Olei Lini Libram unam,
Florum Sulphuris Unciam unam.

Supra lenem ignem coque in vase ferreo capaci, ut coeant, spatula lignea assidue agitando.

BALSAMUM SULPHURIS
TEREBINTHINATUM.

R. Olei atherei Terebinthinæ Unciam unam,
Balsami Sulphuris simplicis Drachmas
tres
Misceantur.

BALSAMUM TRAUMATICUM.

Vulgo Balsamum Commendatoris.

R. Benzoës tritæ Uncias tres,
Aloes socotrinæ tritæ Unciam semis,
Spiritus vini rectificati Uncias triginta
duas.

Digere per biduum et deinde adjice,
Balsami Peruviani Uncias duas,
Digere iterum per triduum et cola.

BOLUS ARMENA PRÆPARATA.

Bolus in aqua pura liquata agitetur, et
aqua tenuissimo polline saturata turbidaque
effundatur; idque nova superaffusa aqua toties
repetatur, donec limpida remaneat; lapilli at-
que arenulæ in fundo residant. Pulvisculus
sic decantatus subsidere permittatur et aqua ef-
fusa exsicceetur.

Ita quoque præparatur *Creta alba.*

CALAMINARIS LAPIS
PRÆPARATUS.

CALAMINARIS lapis cum aquæ paxillo in
tenuissimum lavigetur pulverem, qui super
lapidem exsicceatus iterum in pulverem re-
digatur.

CALX ANTIMONII.

Vulgo Antimonium diaphoreticum.

R. Antimonii pulverati Libram unam.

Nitri purissimi, triti, Libras tres.

MIXTA in crucibulum ignitum cochlearum injice: detonatione peracta in igne detineatur massa per horæ dimidium, cavendo tamen ne fluat: refrigerata in pulverem redigatur et vitro bene clauso servetur.

Si massa hæc sæpius aqua calida abluatur, donec plane insipida sit, *Calx Antimonii abluta* dicitur.

Loturæ vero commixtæ et per chartam colatæ, post evaporationem debitam crystallos ponant, quæ sub Nomine *Nitri antimoniatæ* veniunt.

CAMPHORÆ PURIFICATIO.

R. Camphoræ crudæ Libras duas.

Calcis pulveratæ Unciam unam.

MIXTA et trita immittantur cucurbitæ vitreæ latæ et depressæ, ac igne arenæ sensim aucto liquetur camphora. Mitiore postea calore sublimetur massa pellucida, cucurbitæ adhærens et a scoriis, confracto vitro, separanda.

Nota. Camphora purificata aliunde quoque ad nos adfertur.

CANCROCORUM LAPIDES
PRÆPARATI.

CANCROCORUM lapides in pulverem triti super marmor lævigentur.

CAUSTICUM ANTIMONIALE.

Vulgo Butyrum Antimonii.

R. Antimonii pulverati Libram unam,
Mercurii corrosivi albi, cum aquæ paulo
triti, Libras duas.

Bene misceantur, caute evitando vapores: dein indentur in retortam vitream lorica-
tam, lati brevisque colli, ad medium, et reci-
piente adaptato fiat destillatio leni arenæ igne.
Quod in retortæ collum ascendit et ei glaciei
instar adhæret, carbone ardente caute admoto
liquetur, et ex retorta rectificetur, ut pelluci-
dum evadat.

Dum vapores rubri ascendere incipiunt,
mutetur recipiens, juncturæ vero non luten-
tur: Tum augeatur ignis, ut retorta candescat.
Sic sublimabitur *Cinnubaris Antimonii*, quæ
pulverata iterum per se sublimari debet.

CAUSTICUM LUNARE.

Vulgo Lapis infernalis.

R. Argenti cupellati, in laminis, q. v.
Acidi Nitri, Aquæ fluviatilis Duplo rite
diluti, Pondera æqualia.

Super arenam calidam fiat solutio, quæ
caute ad siccitatem redacta indetur crucibulo
amplo, ac igne sensim aucto liquescat instar olei
et rum effundatur in fistulas ferreas idoneas,
antea calefactas et sevi pauxillo inunctas. Massa
siccata vitro optime clauso servetur.

CAUSTICUM SALINUM.

*Vulgo Causticum potentiale sive
Causticum commune.*

R. Lixivii saponarii per chartam colati q. pl.
Coque ad tertiæ partis remanentiam et
dum etiamnum ebullit, adjice sensim Calcem
vivam, cum aquæ pauxillo in pulverem con-
tritam, donec liquorem absorpserit, ut fiat
pasta, quæ vase vitreo optime clauso servan-
da est.

CERATUM LABIALE.

R. Butyri recentis, insulsi, Libram semis,
Passularum exacinatorum, conscissarum,
Pomorum Borsdorfiensium exacinatorum
et conscissorum,
Ceræ flavæ singulorum Uncias duas,
Radiciæ Aleannæ Drachmas duas.

Coque leniter in vase figulino donec hu-
miditas evaporata sit, seu guttula carboni can-
denti immissa crepitum non edat. Massa fer-
vens forti expressione coletur in vas aqua Ro-
sarum plenum, et refrigerata ab aqua hac li-
beretur.

CINNABARIS FACTITIA.

R. Sulphuris Libram unam.
Ad lenem ignem, in vase ferreo capaci,
liquefacto sensim adjice
Hydrargyri prius calefacti Libras quinque.

Agita continue spathula ferrea ut optime
miscantur: tum operculum adaptetur ligneum,
ne flammam concepiat mixtura, quae nondum
frigefacta teratur in pulverem et igne fortiori
sublimetur.

COLCOTHAR VITRIOLI.

R. Vitrioli viridis q. v.

Calcinetur igne valido in vase terreo vel
ferreo, donec colorem rubrum acquisiverit.

CONDITUM CORTICIS AURANTIORUM.

Cortices Aurantium recentes in aqua
fluviatili pura, quotidie mutanda, macera, do-
nec mollescere incipiant: tum coque cum nova
aqua, usque dum satis teneri evaserint; quo
facto cortices, ab albedine mundatos, cribro
inverso impone, ut ab humore superfluo libe-
rentur. In vase vitreo deinde positis affunde
Syrupum simplicem ad unius digiti superemi-
nentiam. Elapso uno alteroque die exime cor-
tices, et leni coctione inspissa syrupum, in
quem refrigeratum cortices iterum injiciantur,
et post aliquot dierum macerationem de novo
eximantur. Syrupus residuus, leni coctione
cum sacchari q. s. iterum ad debitam consisten-
tiam redactus, postea corticibus admisceatur
ad digiti unius supereminentiam.

Eodem modo condiuntur *Cortices Citri*
recentes, *Radix Enulae* ac *Fructus Cynosbati*
exacinatus.

Confectiones siccae, e. g. *Seminum Anisi*,
Carvi, *Cinae*, *Feniculi* &c. ut etiam *Saccharum*

penidiatum, a Sacchari Confectioribus, rarissime, si unquam, a Pharmacopœis, parantur.

CONFECTIO ALKERMES.

R. Succi granorum Kermes spissioris,
Syrupi Rubi arctici, singulorum Libram
unam,

Unica et leni ebullitione mixtis ac postea refrigeratis adde

Elæosacchari Cinnamomi Drachmas duas,
Coccinellæ, cum Lixivii tartari guttis aliquot trita, Drachmam semis.

CONSERVA ACETOSELLÆ.

FOLIA Acetosellæ recentia contunde in mortario marmoreo cum pistillo ligneo, ut in pulpam abeant; deinde fiat Conserva cum Sacchari albissimi pondere æquali, sensim inter contundendum addito.

Simili modo paratur *Conserva Florum Rosarum rubrarum*. Conservæ vero *Cerefolii* et *Cochlearia foliorum* fiant cum Sacchari albissimi duplo pondere.

CORALLIUM PRÆPARATUM.

In pulverem tritum super marmor lævigeretur.

CORNU CERVI CALCINATUM.

CORNUUM Cervi frustra in furno figulino calcinentur, donec penitus albescant. Idem obtinetur si cornua, post distillationem Spiritus et Olei Cornu cervi relicta, simili modo calcinantur.

CREMOR SATURNI.

R. Aceti Saturnini,

Succi Citri, singulorum par pondus.

IN mortario vitreo celeriter agita, pistillo vitreo, ut mixta penitus albescant.

CROCUS ANTIMONII.

Vulgo Crocus Metallorum,

R. Antimonii,

Nitri, par pondus.

SEPARATIM pulverata, et deinde mixta, in mortario ferreo successive detonentur. Massa refrigerata, in pulverem trita, aquæ ferventis affusione repetita, edulcoretur et dein exsicceetur.

Nota. Si massa ante edulcorationem servatur, HEPAR ANTIMONII nominatur.

DECOCTUM ALBUM.

R. Cornu Cervi calcinati præparati Unciam semis,

Gummi arabici Unciam unam,

Aquæ fluviatilis Libras tres.

Postunicam ebullitionem et refrigerationem triturando admisce

Pastæ amygdalinae Unciam unam.

Cola.

DECOCTUM ANTIPSORICUM.

R. Rasuræ Ligni Guajaci Uncias tres,

Juniperi Uncias duas,

Radiciæ Chinæ conficiæ Unciam unam.

IN sacculo linteo inclusa immitte in

Aquæ fluviatilis Congium unum cum dimidio. Adde

Hydrargyri purificati,

Antimonii contusi, singulorum Libram unam.

Coque ad dimidium lento calore, et ab igne remotis adde

Radicis Glycyrrhizæ Unciam semis.

Cola.

Nota. Sine Hydrargyro et Antimonio paratum DECOCTUM LIGNORUM dicitur.

DECOCTUM AVENACEUM.

R. Avenæ albæ, integræ et lotæ, Libram semis.

Radicis Taraxaci Unciam unam cum dimidia,

Aquæ fluviatilis Congium unum cum dimidio.

Coque ad remanentiam Congii unius. Sub finem adde

Rasuræ Santali rubri Unciam semis.

Cola.

DECOCTUM RADICIS CHINÆ.

R. Radicis Chinæ in taleolas tenues sectæ,

Passularum exacinatarum, singulorum Uncias duas,

Aquæ fluviatilis Congium unum cum dimidio.

Coque ad quartæ partis consumptionem, et cola.

DECOCTUM HORDEI.

R. Hordei, aqua calidâ aliquoties loti, Uncias tres,

Radicis Graminis conscissæ Unciam unam, Aquæ fluviatilis Libras decem.

Coque ad Congii remanentiam, et decoctum frigefactum cola.

Nota. Si adduntur Oxymellis simplicis Unciæ quatuor, DECOCTUM HORDEI ACIDULATUM appellatur.

DIASCORDIUM.

Vulgo Confectio Japonica sive Electuarium e Scordio Fracastorii.

R. Succi Japonici depurati Uncias tres,
Foliorum Scordii,
Fabæ Pechurim.
Radiciſ Tormentillæ, ſingulorum Uncias duas.

Pulveratiſ admisce

Opii, in Vini Hispanici q. ſ. ſoluti, Drachmam unam cum dimidia.

Syrupi Roſarum Uncias viginti octo.

Fiat Electuarium.

Nota. Si aliquamdiu ſervatum areſcat, Vini Hispanici paulum adjiciendo ad debitam craſſitudinem redigatur.

ELATERIUM.

FRUCTUS Cucumeris aſinini fere maturi incidantur, ut in vaſ idoneum demittant ſuccum ſine expreſſione. Pars craſſior ſubſidens, a liquore ſupernatante liberata, leniſſimo calore exſiccetur et ſervetur.

ELECTUARIUM GINGIVALE.

Vulgo Opiatum gingivale.

R. Mellis Roſacei Uncias quatuor,
Tincturæ Myrrhæ Uncias tres,
Cremoriſ Tartari Drachmam unam cum dimidia,
Coccinellæ tritæ Drachmam unam.

D

IN mortario vitreo misce optime terendo,
et digere leni calore, donec mellis crassitudi-
nem acquisiverit. Postquam refrixerit adijce

Olei stillatitii Caryophyllorum Guttas
duodecim,

Corallii rubri præparati Unciam unam.
Misceantur.

ELECTUARIUM LENITIVUM.

R. Foliorum fennæ Uncias tredecim,
Seminum Coriandri Unciam unam,
Aquæ fluviatilis, bullientis Libras sex.

Infunde per noctem in vase clauso, et cola-
turæ expressæ adde

Sacchari albissimi Libras sex.

Coque leniter ad syrupi crassitudinem, et
tum admisce

Pulpæ Cassiæ Libram unam,

Prunorum gallicorum,

Tamarindorum, singulorum Li-
bram semis.

Fiat Electuarium.

ELECTUARIUM E MANNA.

R. Mannæ electæ,
Sacchari albissimi, singulorum Uncias
duas,

Aquæ Fœniculi Uncias duas cum di-
midia.

Solutionem cola cum expressione, et ei
admisce

Radiciis Iridis florentinæ, in subtilem pul-
verem tritæ, Drachmam unam.

Olei Omygdalarum dulcium, recenter expressi, Unciam unam.

Fiat Electuarium.

ELECTUARIUM MUNDIFICANS.

R. Rasuræ Ligni Guajaci Libram unam,
Aquæ fluviatilis Congium unum.

Coque ad remanentiam Librarum duarum cum dimidia. In colatura solve

Sacchari albissimi Libras quatuor cum dimidia.

Postea adjice

Pulveris Corticis Sassafras Uncias quatuor,
Foliorum Sennæ Uncias tres cum dimidia,

Resinæ Guajaci Unciam unam,

Olei stillatitii Sassafras Guttas decem.

Misce ut fiat Electuarium,

ELÆOSACCHARUM CINNAMOMI

R. Sacchari albissimi, pulverati, Uncias duas.

In mortario marmoreo trituro sensim admisce

Olei destillati Cinnamomi Guttas triginta.

SERVA in phiala vitrea angusti colli et bene obturata.

Eodem modo paratur Elæosaccharum Olei destillati cujusvis.

ELIXIR ALOETICUM.

Vulgò Elixir Proprietatis sine acido.

R. Myrrhæ Uncias duas,
Croci Unciam unam,

Spiritus vini rectificati Uncias triginta
duas.

Digere in arena per quatuor dies.

Tum adde

Aloes socotrinæ Unciam unam cum di-
midia.

Digere iterum per biduum et cola.

ELIXIR ALOES SAPONACEUM.

Vulgo Elixir Proprietatis Stabelii.

R. Aloes socotrinæ,

Myrrhæ, singulorum Unciam unam,

Scorsim in pulverem tenuissimum tritis et
commixtis, suffunde

Bilis bovinæ recentis Uncias duas.

Mixtis exacte et leniter siccatis, denuoque
tritis, adde

Oxytartari Unciam unam,

Croci Unciam semis,

Spiritus vini rectificati Libram unam.

Digere balnei calore in cucurbita vitrea per
biduum, et dein per chartam cola.

ELIXIR ANTHELMINTICUM.

Vulgo Essentia Catholica purgans Rothii.

R. Radicis Jalapæ Uncias quatuor,

Seminum Carthami Uncias duas,

Scammonii Unciam semis,

Gummi Gambogiæ Drachmas duas.

Incisis et contusis affunde

Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Digere per quatrimum, et fortiter exprimen-
do cola.

ELIXIR ANTIHYSTERICUM.

Vulgo Elixir Uterinum Duriæti.

- R. Castorei Unciam semis,
 Assæ foetidæ Drachmas duas,
 Opii Drachmam semis,
 Spiritus vini rectificati Uncias quatuor.
 Digere per sex dies. Colaturæ adde
 Spiritus Cornu Cervi Unciam semis.
 Fit quoque sine opio.

ELIXIR APERITIVUM.

- R. Foliorum sennæ Uncias quatuor,
 Seminum Coriandri,
 Fœniculi, singulorum Drachmas
 duas.

Vini Hispanici Libras duas.

- Digere per triduum, et tum adde
 Passularum exacinarum Uncias tres.
 Digere iterum per diem, et cola cum expressione.

ELIXIR PAREGORICUM.

Vulgo Elixir Asthmaticum.

- R. Florum Benzoinorum,
 Opii, singulorum Drachmam unam,
 Camphoræ Scrupulus duos,
 Olei stillatitii Anisi Drachmam semis,
 Spiritus vini rectificati Uncias triginta
 duas,

Digere per quatuor dies, et cola.

ELIXIR PECTORALE.

- R. Succu Glycyrrhizæ Unciam semis,
 Myrrhæ,
 Opii,
 Styracis, singulorum Scrupulos quinque,

Croci Scrupulos duos,
Vini Hispanici Uncias decem.

Digere per octo dies, et tum decantha.

ELIXIR RHEI AMARUM.

R. Rhabarbari contusi Unciam unam,
Radicis Gentianæ rubræ Drachmas duas,
Angelicæ Drachmam semis,
Vini Hispanici Libram unam.

Digere per biduum, et cola cum expressione.
Nota. Fit quoque cum Spiritu vini gallici.

ELIXIR RHEI DULCE.

R. Rhabarbari contusi Uncias duas,
Seminum Cardamomi Drachmas duas,
Vini Hispanici Libram unam.

Digere per triduum, et exprimendo cola.

ELIXIR VITRIOLI.

Vulgo Elixir Acidum Mynsicht.

R. Tincturæ aromaticæ Libram unam,
Sensim instilla

Acidi vitrioli fortis Uncias duas.

Stent simul mixta per diem, et tum cola.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM.

Vulgo Emplastrum Polychrestum.

R. Olei Olivarum Libram unam cum
dimidia.

Leniter calefacto adde

Lithargyri subtilissimi tritici Uncias
novem.

Spathula lignea perpetuo agitando coque
leni igne, aquæ ferventis q. s. sensim instillan-
do, et antequam emplastri consistentiam acqui-
siverit, adjice

Resinæ in pulverem trita Uncias quatuor.
Coctio lenissima continuetur, donec debitam
habeat consistentiam.

EMPLASTRUM ANTIHY-
STERICUM.

Vulgo Emplastrum Matricale.

R. Emplastri gummosi Libram unam.

Ad lenem ignem liquato adde

Assæ fetidæ pulverata,

Terebinthinæ, singulorum Uncias duas.

Spathula lignea continuo agitando tandem
admisce

Seminum Cymini pulveratorum Uncias
duas,

Olei stillatitii Menthæ crispæ Drachmam
unam.

EMPLASTRUM CALAMINARI
LAPIDE.

Vulgo Emplastrum Griseum.

R. Olei Olivarum leniter calefacti Uncias se-
decim,

Lithargyri triti Uncias sex.

Leni igne coque, aquæ ferventis pau-
lum addendo et spathula perpetuo agi-
tando, ut Lithargyrus solvatur. Tum per
vices admisce

Lapidis Calaminaris preparati Libras
duas,

Ceræ flavæ Uncias quinque,

Sevi bovini,

Terebinthinæ communis, singulorum Un-
ciam unam cum dimidia.

Fiat l. a. emplastrum.

EMPLASTRUM PRO CEREIS
MEDICATIS.

R. Cerae flavæ, leni igne liquefactæ; Libram
unam,

Aceti saturnini unciam semis.

Mixtis et ab igne remotis immerge telas
tenues, ex quibus fiant l. a. cerei.

Nota. Fit quoque cum Aceti saturnini duplo
vel quadruplo.

EMPLASTRUM E CICUTA.

R. Gummi Ammoniacy Libras duas.

In Aceti scillitici q. s. soluto adde

Extracti Cicutæ Libram unam.

Lenissimo calore vaporet, sub finem ad-
jiciendo.

Herbæ Cicutæ pulveratæ Libram semis,

Cerae flavæ, prius liquatæ, Libram unam,

Terebinthinæ Uncias quatuor.

Miscæ perpetua agitatione, ut fiat em-
plastrum.

EMPLASTRUM CITRINUM.

Vulgo Ceratum Citrinum.

R. Resinæ Libram unam,

Cerae flavæ Libram semis,

Sevi ovilli curati Uncias quatuor,

Terebinthinæ Uncias duas,

Cureumæ pulveratæ Unciam semis.

Liquefiant leni calore, et antequam refri-
xerint, cola.

Nota. Si Curcumæ loco additur Æruginis trita Uncia semis, fit EMPLASTRUM vel CERATUM VIRIDE.

EMPLASTRUM COMMUNE.

Vulgo Emplastrum diachylon simplex.

R. Olei Olivarum leniter calefacti Libras sex,
Lithargyri triti Libras tres.

Coque lenissimo igne, aquæ ferventis q. s. sensim instillando, et spatula semper agitando, ut fiat emplastrum.

EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

R. Cerae flavæ Libram unam,
Olei Olivarum Uncias decem.

Leni igne liquatis admisce
Plumbi usti Libram semis,
Cerussæ trita Uncias quatuor,
Pompholygos Uncias tres,
Olibani Unciam unam cum dimidia.

Agitatione continua coque ad debitam consistentiam.

EMPLASTRUM GUMMOSUM.

Vulgo Emplastrum Diachylon cum gummi, sive e Galbano.

R. Emplastri communis Libras quinque,
Cerae flavæ Libram semis.

Supra lenem ignem liquatis et inde remotis, sensim admisce

Gummi Ammoniaci,

Galbani,

Terebinthinæ, singulorum Libram semis.

D 5

EMPLASTRUM E MELILOTO.

Vulgo Emplastrum Emolliens.

- R. Herbae cum floribus Meliloti Uncias
quinque,
Florum Chamomillae vulgaris Unciam
unam cum dimidia,
Baccarum Lauri Unciam semis,
Seminum Fœnu græci,
Gummi Ammoniaci, singulorum Unciam
unam.

In pulverem redactis admisce

Emplastri citrini, leni calore liquati, Li-
bram unam cum dimidia.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

*Vulgo Emplastrum e ranis, sive ex Ammo-
niaco cum Mercurio.*

- R. Emplastri gummosi Libram unam cum di-
midia.

Leni calore liquato, et ab igne remoto, sub
continua agitatione, admisce

Hydrargyri Uncias octo,

Styracis liquidæ Unciam unam cum dimidia,

Terebinthinæ Unciam unam.

Nota. Hydrargyrus prius extinctus sit, tri-
turando in mortario cum Terebinthina et Sty-
race liquida.

EMPLASTRUM PICEUM.

Vulgo Sæcticum. Hamburgense.

- R. Resinæ Uncias viginti tres,
Picis navalis Uncias sedecim,
Cerae flavæ Uncias octo,
Sevi bovini Uncias quatuor.

LENI igne liquata colentur, et spatula subigantur usque ad refrigerationem.

EMPLASTRUM E SPERMATE
CETI.

R. Ceræ albæ,
Olei Olivarum, singulorum Uncias quatuor,
Spermatidis Ceti Unciam unam.

LIQUENTUR leni calore, et spatula subigantur ad refrigerationem.

EMPLASTRUM STOMACHICUM.

Vulgo Emplastrum e Cymino, sive e baccis Lauri.

R. Emplastri gummosi,
Olei olivarum,
Ceræ flavæ, singulorum Libram semis.

LENI calore liquatis adjice
Seminum Cymini pulveratorum Libram semis,
Baccarum Lauri pulveratarum Uncias duas,

Olei destillati Cymini Drachmam unam.
SPATHULA subige usque ad refrigerationem.

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

R. Emplastri citrini Uncias viginti sex.

Ad lenem ignem liquato adde

Cantharidum pulveratarum Libram semis,
SUBIGENDO spatula misce, et inde forma lamineas, ab aliis emplastris facile distinguendas.

EMULSIO ANTISCORBUTICA.

R. Turionum Pini recentium Unciam unam
cum dimidia,

Amygdalarum dulcium Unciam unam.

In mortario marmoreo contusis, sensim
affunde

Aquæ fluviatilis Uncias sedecim.

Colaturæ adde

Sacchari albissimi Drachmas sex.

EMULSIO COMMUNIS.

R. Amygdalarum dulcium Uncias duas.

In mortario marmoreo contunde, sensim
addendo Aquæ fluviatilis q. s. ut fiant colaturæ
Libræ duæ, in quibus solve

Sacchari albissimi Drachmas duas.

Nota. Si addatur gummi arabici, aquæ fer-
ventis q. s. soluti, Uncia una, habetur EMULSIO
GUMMOSA, vulgo *Arabica* dicta.

EMULSIO PERUVIANA.

Vulgo Emulsio chinata Rosensteini.

R. Corticis Chinchinæ pulverati Unciam
unam cum dimidia.

Aquæ fluviatilis Libras tres.

Coque in vase clauso ad colaturæ Libræ
unius remanentiam. Huic adde

Syrupi amygdalini Uncias tres.

EMULSIO SALINA.

R. Tartari tartarifati Drachmas duas,
Mellis Unciam unam cum dimidia,

Aquæ fluviatilis Libram unam.

Solutionem in mortario marmoreo tritu-
rando misce cum

Amygdalarum dulcium contusarum Un-
cia una.

Cola.

ENEMA COMMUNE.

R. Specierum emollientium Unciam unam,
Aquæ fluviatilis Libram unam cum dimidia.
Coque, et colaturæ Libræ uni adde
Olei Olivarum Uncias duas,
Mellis Unciam unam,
Salis communis Drachmas duas.

EXTRACTUM ABSINTHII.

R. Herbæ Absinthii siccatae q. pl.

Aquæ fluviatilis sextuplum.

Coque, et liquorem deinde exprime. Resi-
duum cum aqua recenti coque iterum et ex-
prime. Decoctiones colatæ et mixtæ vaporent
balnei calore ad mellis crassitudinem.

Eodem modo præpara *Extractum ex Arnica*
herba, *Betula* foliis tenerrimis, *Bryonia* radi-
ce, *Cardui benedicti* foliis, *Centaurii minoris*
herba, *Fumariae* herba, *Graminis* et *Hellebori*
nigri radicibus, *Millefolii* summitatibus, *Rha-*
barbari radice et *Trifolii aquatici* herba.

EXTRACTUM ALOES AQUOSUM.

Vulgo Aloe præparata.

R. Aloes hepaticæ Libram unam,
Aquæ fluviatilis frigidæ Libras quinque,
Succi Citri Libram semis.

In vase vitreo macera per unum alterumve
diem, vas subinde concutiendo. Cum resinosa
substantia et fæces subsederint, decantha ligo-
rem, et residuo novam aquam frigidam affun-

de, donec parum admodum in affusam aquam recipiatur. Liquores colati calore balnei vaporent ad mellis crassitudinem.

EXTRACTUM CHINCHINÆ.

R. Corticis Chinchinæ Libram unam,
Spiritus vini rectificati Libras sex.

MACERA leni calore per biduum et exprime tincturam, quæ colata in mellis crassitudinem spissescat, spiritu per alembicum abstracto.

Corticis residuo affunde

Aquæ fluviatilis, bullientis, Libras tres.

Post unam vel alteram ebullitionem exprime decoctum, quod vaporando supra lenem ignem ad mellis crassitudinem redactum miscetur cum extracto nuper descripto. Mixta leni calore, spatula continue agitando, ad debitam extracti consistentiam redigantur.

Eodem modo para *Extractum Cascariæ* corticis; *Enula*, *Gentiana* et *Jalapæ* radicum, ac *Turionum Pini*.

EXTRACTUM CATHARTICUM.

Vulgo Extractum Catholicum, sive Panchymagogum Crollii.

R. Colocynthidis, a seminibus purgatæ, Uncias duas,

Aquæ fluviatilis Libras duas.

Coque leni igne ad dimidium, et colatura balnei calore vaporet ad mellis crassitudinem. Tum ei admisce sequentia in pulverem tenuem trita, scilicet

Aloes socotrinæ Uncias duas,

Scammonii Unciam unam,
 Tartari vitriolati Drachmas duas.
 Massa ab igne remota adde
 Extracti nucum Juglandis Drachmas tres,
 Olei stillatitii Caryophyllorum Drachmam
 unam.
 Misceantur.

EXTRACTUM CEREFOLII.

Succus Herbae Cerefolii recens expressus et
 colatus, sine prava defecatione, vapor et calore
 balnei ad mellis crassitudinem.

Eodem modo para *Extractum* foliorum *Aco-*
niti, *Hyoscyami*, *Stramonei*, herbae *Cicutæ* et
Conii. E succo autem defecato para *Extra-*
ctum Nicotianæ foliorum, ac *Taraxaci* radicis,
 primo vere vel sero autumnio collectæ et a
 foliis probe mundatæ.

EXTRACTUM NUCUM
JUGLANDIS.

Nuces Juglandis nondum maturæ, seu ad
 finem mensis Julii collectæ, cum aqua fluvia-
 tilis q. s. mixtæ, contundantur in vase ligneo
 cum pistillo ligneo. Colatura expressa vapo-
 ret leni arenæ calore ad mellis crassitudinem,
 caute evitato empyreumate.

EXTRACTUM THEBAICUM.

Vulgo Opium colatum, sive Extractum Opii.

R. Opii concisi Libram semis,

Aquæ fluviatilis bullientis Uncias octo.

SOLUTIONEM lenissimo calore factam, et
 etiamnum calentem, forti expressione per

pannum a facibus separa et balnei maris calore in debitam crassitudinem redige.

Nota. Omnia Extracta aquosa Spiritus vini rectificatissimi pauxillo irrorentur, ne situm contrahant.

FERRI LIMATURA PRÆPARATA.

Vulgo Limatura Martis, sive Chalybs preparatus.

FERRI purissimi limatura in mortario ferreo, cum pistillo ferreo, contundatur, et diu terendo in subtilissimum pulverem redigatur.

FLORES BENZOINI.

R. Benzoes tritæ q. pl.

Ex olla figulina, cui adaptatus sit cucullus chartaceus coniformis, leni igne, flores sublimentur. Ab oleo adhærente purificentur solutione in aqua calida et crystallisatione.

FLORES MARTIALES.

Vulgo Ens Veneris.

R. Ferri limati Libram unam,
Salis ammoniaci Libras duas.

MIXTA humectentur aquæ pauxillo, deinde exsiccantur et triturentur in mortario ferreo. Hoc ter quaterve repetatur; dein e cucurbita ferrea, alembico instructa, fiat sublimatio igne mox sufficiente. Flores sublimati, cum capite mortuo triti, iterum sublimentur: hocque repetatur, donec flores aurantii coloris sint.

Residuum loco humido relinquatur, ut in liquorem diffluat, qui sub nomine LIXIVII MARTIS servetur.

FLORES SULPHURIS.

SULPHUR commune tritum indetur cucurbitæ terreæ, capitello vitreo instructæ, vel aliis vasculis idoneis superpositis, et ex arena, igne primum leni, postea paulum validiore, fiat sublimatio. Flores in capitellum elevati abstergantur, vel capitellum subinde renovetur, donec sulphur totum, relictis in fundo facibus, ascenderit, Flores omnes collecti aqua calida aliquoties abluantur.

Nota. Vix unquam a Pharmacopolis parari solent.

FLORES ZINCI.

ZINCI frustula ignito crucibulo capaci, alto et inclinato, repetitis vicibus injice, ut inflamentur. Flores albi, leves, sublimati eximantur gradatim, ne aëris accessum impendant. Exempti flores tandem per cribrum trajiciantur.

GELATINA BERBERUM.

Succus e baccis Berberum coquatur leni igne cum sacchari albi pondere æquali, vel q. s. ad debitam crassitudinem. Tum per pannum laneum trajiciatur gelatina.

Eodem modo paratur *gelatina Ribium rubrorum.*

GELATINA CORNU CERVI.

R. Cornu Cervi rasi, in aqua tepida aliquoties loti, Libram semis,

Aquæ fluviatilis Libras septem.

Leni igne coque vase clauso per septem vel octo horas. Colaturæ etiamnum calenti adde

E

Sacchari albissimi Uncias duas,
 Vini rhenani,
 Succu Citri, singulorum Unciam semis.
 Sepone in locum frigidum, ut fiat gelatina.

GELATINA POMORUM.

Succus e pomis rasis expressus, addita sacchari albi quarta parte, vaporet leni calore ad gelatinæ consistentiam.

GLOBULI MARTIALES.

R. Tartari albi Libras quatuor,
 Ferri purissimi limati Libram unam cum dimidia,
 Aquæ fluviatilis Congios sex.

In vase ferreo, continue agitando, supra ignem inspissa, donec omnem perdat aciditatem, et spuma admoto papyro accenso flagrare desinat. Tum adde aquæ q. s. ut ferrum non solutum subsidat. Solutio decanthata iterum vaporet ad debitam consistentiam, ut inde globuli, ponderis dimidiæ vel unius Unciæ, formari queant.

HYDRARGYRUS PURIFICATUS.

R. Hydrargyri q. v.

E retorta vitrea destilletur in vas recipiens vitreum, cui aqua fluviatilis ad ejus dimidium indita sit. Cavendum est, ne ignis adeo validus sit, ut hydrargyrus quidquam secum elevet.

INFUSUM RHEI.

Vulgo Anima Rhei.

R. Rhabarbari contusi Uncias duas,

Aquæ fluviatilis, bullientis, Libram unam
cum dimidia.

MACERA per duodecim horas. Colaturæ
leniter expressæ adde

Aquæ Cinnamomi Unciam unam cum di-
midia.

INFUSUM RHEI SALINUM.

R. Rhabarbari contusi Unciam unam,
Liquoris digestivi Uncias novem.

MACERA per duodecim horas, et cola cum
leni expressione.

INFUSUM SENNÆ CITRATUM.

R. Foliorum Sennæ Drachmas sex,
Flavedinis corticis Citri recentis Drachmas
duas,

Succi Citri Drachmas sex,

Aquæ fluviatilis bullientis Libram semis.

MACERA per horam vase vitreo, et cola.

Nota. Si succi Citri loco sumitur Pulpa Ta-
marindorum, INFUSUM SENNÆ TAMARINDATUM
vocatur.

JULAPIUM E MOSCHO.

R. Moschi Scrupulum unum,
Gummi Arabici pulverati Drachmam unam.

IN mortario marmoreo vel vitreo tero ad
perfectam solutionem, sensim addendo

Aquæ Rosarum Uncias octo,

Sacchari albi Drachmas duas.

KERMES MINERALE.

R. Antimonii in frustula diffracti Libram unam,
Salis Alcalini fixi vegetabilis Uncias tres,

Aquæ fluviatilis Libras tres.

COQUE per bihorium, et liquorem ferventem per chartam cola. Residuo iterum affunde

Aquæ Libras tres,

Salis alkalini fixi Uncias duas.

COQUE ut antea, et liquorem per chartam cola: idque tertia vice repete. Liquores mixti in vase vitreo, refrigerati et quieti, deponant pulverem, qui affusa calida edulcoretur l. a.

LAC AMMONIACI.

R. Gummi Ammoniaci purissimi Unciam semis,

Arabici Drachmas sex,

Aquæ Pulegii Uncias octo.

IN mortario marmoreo vel vitreo tere, donec gummi soluta sint.

LAPIS CAUSTICUS.

Vulgo Lapis Septicus.

R. Lixivii saponarii q. v.

VAPORET leni igne ad siccitatem, dein calcinetur in crucibulo, donec in fluorem olei instar abeat. Tum massa super marmor calidum effusa, lentescens adhuc in frustula secetur, et in vase bene obturato servetur.

LAPIS MEDICAMENTOSUS.

R. Aluminis,

Boli armenæ,

Colcotharis Vitrioli,

Lithargyri, singulorum Par pondus,

Aceti vini ad supereminentiam quatuor digitorum.

IN vase figulino vitreato, spathula lignea agitando, coque ad siccitatem.

LINCTUS ACIDUS.

R. Seminum Cydoniorum Drachmam semis,
Aqua: destillata simplicis Uncias tres.

Misce l. a. ut fiat mucilago, cujus colaturæ
Unciis duabus adde

Acidi Vitrioli tenuis Drachmam unam,
Syrupi Ribium nigrorum Unciam unam.

LINCTUS LENIENS.

Vulgo Lohoc Sanum et expertum.

R. Gummi arabici triti Drachmas duas,
Aqua: Ceraforum Unciam semis.

In mortario marmoreo vel vitreo trituran-
do admisce

Olei Amygdalarum dulcium recentis,
Syrupi Amygdalini, singulorum Drachmas
septem.

LINIMENTUM SAPONACEUM.

*Vulgo Unguentum Opodeldoch, sive
Balsamum Saponaceum.*

R. Spiritus vini rectificati Libram unam,
Saponis veneti Uncias duas.

Digere leni calore, donec fiat solutio, cui
adde

Camphoræ Unciam semis,

LIQUOR CORNU CERVI
SUCCINATUS.

R. Spiritus Cornu Cervi rectificati Libram
semis,

Salis succini depurati q. s. ad satura-
tionem.

Digere, et per chartam cola.

LIQUOR DIGESTIVUS.

Vulgo Liqueur Terre foliate tartari.

R. Salis alcalini fixi vegetabilis Unciam unam
cum dimidia,

In vase vitreo capaci sensim instilla

Aceti vini q. s. ad saturationem.

LIQUOR per chartam colatus leni calore va-
poreret, ad unius Libræ remanentiam.

LIQUOR PROBATORIUS.

R. Calcis vivæ Unciam unam,

Auripigmenti Unciam semis,

Aquæ destillatæ simplicis Libram semis.

Mixta digere, et per chartam cola.

LIXIVIUM SAPONARIUM.

R. Calcis vivæ perfecte calcinatæ Uncias
quatuor,

Sensim affunde

Aquæ calidæ pauxillum,

ut Calx in pulverem tenuissimum fatiscat. Dein
adde

Aquæ bullientis Libram unam cum di-
midia,

Salis Alcalini fixi vegetabilis Uncias tres.

SUPER ignem mixta, et dein frigefacta, per
Infundibulum vitreum, mediante gossypio,
cola, et denuo repetitis vicibus superfunde

Aquæ bullientis q. s.

Ut elixetur Libra una cum dimidia.

LIXIVIUM denique in lagenis, episto-
miis vitreis obturatis, servatum, usus tem-
pore a pulvisculo calcareo, forsan trans-
misso, decantha.

Nota. Lixivium absolute causticum admixta
Calcis Aqua non lactescet.

LIXIVIUM TARTARI.

Vulgo Oleum tartari per deliquium.

R. Salis Tartari ad albedinem calcinati q. pl.
Aquaë destillatæ simplicis Duplum pondus.
IN vase vitreo misce, et solutionem per char-
tam cola.

MAGNESIA ALBA.

R. Salis Cathartici Anglici,
Cinerum Clavellatorum, singulorum Par
pondus.

IN aquæ fluviatilis q. s. separatim soluta, et
per chartam colata, misceantur calide, et simul
coquantur paulum. Mixture ab igne remota
aquæ fervidæ octuplo diluatur, et liquor super-
natans statim decantherur. Pulvis albus, in
fundo remanens, iterata aquæ calidæ affusione
diligenter ablutus siccetur.

MAGNESIA CALCINATA.

MAGNESIA alba calcinetur in crucibulo, igne
fortiore, et in vitro optime obturato fervetur.

MEL ÆRUGINIS,

Vulgo Unguentum Ægyptiacum.

R. Æruginis tritæ Uncias quinque,
Aceti Uncias septem,
Mellis Uncias quatuordecim.

COQUE lento igne, diligenter spathula
agitando, donec unguenti crassitudinem ac-
quisiverit.

MEL DEPURATUM.

MEL, quod heterogeneis scater, liquefcatur calore balnei maris, et coletur.

MEL OXYCOCCI.

R. Succii baccarum Oxycocci,
Mellis optimi, singulorum Par pondus.
IN vase vitreo misce leni calore.

MEL ROSACEUM.

R. Rosarum rubrarum, celeriter siccatarum,
Libram unam,
Aquæ fluviatilis bullientis Libras tres.

MACERA per duodecim horas, ac colaturæ
leniter expressæ adde

Mellis Libras quinque.

Lenissimo igne coque ad consistentiam de-
bitam.

MERCURIUS CALCINATUS.

Vulgo Mercurius præcipitatus per se.

R. Hydrargyri purificati q. v.

IN cucurbita vitrea lata, longissimum
collum et parvam aperturam habente,
ponatur super ignem arenæ per plures
menses, donec in pulverem rubrum cal-
cinatus sit.

Nota. Colli os charta leviter tectum sit, ne
sordes in vas illabant.

MERCURIUS CORROSIVUS* ALBUS.

Sive Mercurius sublimatus corrosivus.

R. Hydrargyri purificati,

Acidi Nitri, pari pondere Aquæ fluviatilis
antea diluti, singulorum Libram unam
cum dimidia.

IN retorta vitrea misce et caute arenæ igne destilla ad siccitatem. Tum sume

Massæ istius albæ, in fundo retortæ relictæ.

Vitrioli viridis exsiccati,

Salis communis exsiccati, singulorum Par pondus.

SEPARATIM pulverata, mixta indantur cucurbitæ vitreæ ad ejus medium fere, et ex arena, igne sensim aucto, sublimetur massâ crystallina alba, ad superiora cucurbitæ hærens, quæ a scoriis separata servetur.

Nota. Si massa sublimata non satis crystallina apparet, addito salis communis exsiccati pauxillo, sublimetur iterum, donec crystallina et pura evaserit.

MERCURIUS CORROSIVUS RUBER.

Vulgo Mercurius præcipitatus ruber.

R. Hydrargyri purificati,

Acidi Nitri, Aquæ fluviatilis pari pondere rite diluti, singulorum Libram unam.

MIXTA in vase vitreo latioris fundi valido arenæ calore exsicca, continue virga vitrea agitando, donec massa rubrum acquisiverit colorem.

MERCURIUS DULCIS.

Vulgo Calomelas.

R. Mercurii corrosivi albi in mortario vitreo triti Libram unam,

Hydrargyri purificati Uncias novem.

TRITURATIONE mixta in cucurbita vitrea alta digere leni calore, vas sæpius agitando,

donec Hydrargyrus non appareat: tum aucto calore arenæ fiat sublimatio. Materiem nigricantem in collo altius sublimatam et facces in fundo relictas separa; dein massa alba sublimata, in mortario vitreo trita, bis per se sublimetur.

MERCURIUS FLAVUS.

Vulgo Turpethum Minerale, Mercurius præcipitatus luteus sive emeticus.

R. Hydrargyri purificati Unciam unam,
Acidi Vitrioli fortis Uncias duas.

DIGERE per duodecim horas in retorta vitrea, calore arenæ. Validiore postea igne Acidum vitrioli ebulliat, cavendo ne ignis ulterius augeatur, usque dum ebullitio cessaverit. Igne tum fortiore exsiccanda est massa alba in fundo manens, quam pulveratam injice in

Aquæ fluviatilis calidæ (cui Lixivii tartari Drachma semis prius admixta est) Libras duas.

TRITURANDO misce, et subsidentem pulverem flavescensentem iterum affusa aqua aliquoties abluc, et dein exsicca.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

Vulgo Mercurius Cosmeticus.

R. Mercurii corrosivi albi,
Salis ammoniaci, singulorum Par pondus.
SOLVE in aqua fluviatili, et solutioni per chartam colatæ instilla

Lixivii Tartari q. s. ut præcipitetur pulvis albus, qui aquæ purissimæ affusione edulcorandus est.

Nota. Lixivium tartari nimia quantitate addi non debet, ne albus præcipitati color pereat: si vero id acciderit, album colorem restituit Spiritus salis ammoniaci paulum adjectum.

MIXTURA DIATRION.

Vulgo Mixtura simplex.

R. Spiritus vini camphorati Uncias quinque,
Acidi Tartari destillati Uncias tres,
Vitrioli tenuis Unciam unam.

Misce et tinge baceis Myrtillorum.

MIXTURA MINERALIS.

sive Solutio Mercurialis.

R. Mercurii corrosivi albi Grana sex,
Spiritus vini rectificati,
Aquæ Cinnamomi, singulorum Uncias tres,

Destillatæ simplicis Libram semis,

Syrupi Althææ Unciam unam.

Misce.

MIXTURA SALINA.

Vulgo Haustus Salinus Riverii.

R. Salis herbarum Drachmam unam,
Aquæ fluviatilis Uncias quinque,
Succi Citri Uncias duas,
Syrupi corticis Aurantiorum Unciam semis.

Misce.

MIXTURA SALINA VOLATILIS.

Vulgo Spiritus Mindereri.

R. Salis volatilis salis ammoniaci q. pl.

Per vices instilla

Aceti vini destillati q. s. ad saturationem.

Cola per chartam.

MORSULI ANTIMONIALES.

*Vulgo Morsuli restaurantes Kunkelii.*R. Amygdalarum dulcium decorticarum, et
minutim incisarum, Unciam unam,
Antimonii præparati Unciam semis,
Cinnamomi minutim incisi Drachmas
duas,Sacchari albissimi, ad consistentiam tabu-
lati cocti, Uncias septem.Misceantur, et inde fiant morsuli sedecim
æquales.

MORSULI AROMATICI.

*Vulgo Morsuli Imperatoris.*R. Amygdalarum dulcium decorticatarum, et
minutim incisarum,Conditi corticum Aurantium conscissi,
singulorum Unciam unam,

Cinnamomi conscissi Unciam semis.

Zingiberis minutim conscissi scrupulum
unum,Sacchari albissimi, ad consistentiam tabu-
lati cocti, Libram unam.

Misceantur, et fiant inde morsuli.

NITRUM PURIFICATUM.

*Vulgo Nitrum præparatum sive
crystallifatum.*

NITRUM solvatur in aquæ fluviatilis q. s. Solutio per chartam colata vaporet, usque dum guttâ, in laminam vitream cadens, crystallinas fibras præstet. Dein in loco frigido reponatur, ut Crystalli formentur.

OLEUM DESTILLATUM
ABSINTHII.

R. Summitatum et foliorum Absinthii recentium q. pl.

Aquæ purissimæ q. s. ut herba innatare possit.

Fiat l. a. destillatio igne môx aucto, et Oleum ab aqua separetur.

EODEM modo eliciantur cetera olea stillantia, ut ex *Anethi, Anisi, Carvi, Cymini, Fœniculi* seminibus; *Caryophyllorum* et *Piperis jamaicensis* fructibus; *Juniperi* baccis; *Chamomille vulgaris, Lavendule* et *Tanaceti* floribus; *Majoranæ, Mentha crispæ, Mentha piperitidis, Rosmarini, Ruta, Serpilli* herba vel foliis; *Cinnamomi cortice*; et *Sassafras* radice.

Caryophylli et Cinnamomum e vase humili destillantur, ut oleum, quod ponderosum est, in excipulum transeat.

Nota. Si herbæ et flores prope ignem celeriter antea siccati sunt, majori quidem copia obtinentur olea eorum stillantia, sed non adeo gratum odorem spirantia, ac si ex herbis et floribus recentibus destillantur.

OLEUM AMYGDALINUM.

R. Amygdalarum dulcium, non rancidarum,
q. pl.

In mortario lapideo vel ferreo contundantur, et ex iisdem sacco inclusis, sub prælo paululum calefacto, exprimitur oleum.

Eodem modo exprimitur oleum e *feminibus Lini et Ricini.*

OLEUM ANIMALE.

R. Cornuum Cervi calcinatorum et pulveratorum Libras quatuor.

In cucurbita vitrea, ope infundibuli vitrei, longiore collo instructi, ne latera cucurbitæ inquinentur, adde

Olei Cornu Cervi Libras duas.

ALEMBICUM vitreum, longiore rostro præditum, cucurbitæ et recipienti vitreo adaptæ, vasisque bene lutatis, arenæ lenem admovere ignem per aliquot horas. Sensim tum augetur ignis, donec nihil ulterius per alembicum transeat. Quod in vas recipiens destillatum est, e nova cucurbita vitrea per se aliquoties rectificetur, donec, id quod destillatione elicatum fuerit, spiritus instar tenuæ et sine colore sit. Oleum hoc servandum est in lagenulis vitreis parvis, et epistomiis vitreis clausis.

OLEUM CAMPHORATUM.

R. Olei Lini recentis Unciam unam,
Camphoræ Unciam semis.

Misce, ut solvatur camphora.

Nota. Fit quoque cum oleo Olivarum vel Amygdalarum.

OLEUM CERÆ.

R. Ceræ flavæ q. pl.

E retorta fiat destillatio arenæ calore. Primum exhibit liquor acidus, dein oleum crassum collo adhærens, nisi carbone ardente admoto liquecat. Oleum tenue evadit, si per se aliquoties rectificetur.

OLEUM HYPERICI.

R. Florum Hyperici recentium, et nondum penitus expansorum, Libram unam,
Olei Olivarum Libras duas.

MACERA vase vitreo clauso per aliquot dies, donec colorem rubrum acquisiverit oleum, quod dein coletur.

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

R. Petalorum Liliorum alborum, nuper expansorum, Libras duas,
Olei Olivarum Libras tres.

MACERA vase vitreo clauso, et oleum cum floribus serva.

OLEUM OVORUM.

R. Ova recentia q. pl.

COQUE, ut indurentur penitus; dein vitellos exime, et comminutos assa leniter in sartagine, donec rufescere incipiant, et pinguedinem quandam emittant. Tum ferventes etiamnum indentur sacculo, e pilis equinis contexto, et exprimatur Oleum.

OLEUM PINI.

R. Resinæ Pini q. v.

Cum aquæ q. s. fiat destillatio e vesica, ut de Oleis vegetabilium destillatis dictum est.

OLEUM TEREBINTHINÆ
ÆTHEREUM.

R. Olei Terebinthinæ,

Aquæ fluviatilis, Pondera æqualia.

E vesica fiat destillatio, quamdiu prodit
Oleum.OSTREARUM TESTÆ
CALCINATÆ.OSTREARUM testæ, repetita lotionē munda-
tæ, igne valido calcinentur, ut candidæ intus
et friabiles reddantur.OSTREARUM TESTÆ
PRÆPARATÆ.TESTÆ cavæ, Aqua fervida a sordibus pur-
gatæ, et in sole per aliquot dies siccata, teran-
tur in mortario marmoreo, ut in pulverem tenuissimum redigantur.Eodem modo præparantur *Ovorum testæ.*

OXYMEL SCILLITICUM.

R. Aceti scillitici Libram unam,

Mellis depurati Libras duas.

In vase vitreo leni calore misceantur.

OXYMEL SIMPLEX.

R. Aceti Vini,

Mellis Svecici, singulorum Libras duas.

In vase vitreo lenissimo calore absque omni
ebullitione misceantur, virga nitrea continue
agitando.

OXYTARTARUS.

*Vulgo Arcanum sive Terra foliata Tartari.*R. Salis Tartari Libram unam cum di-
midia.

In vase stanneo capaci affunde

Aceti vini destillati Congium unum.

PARTE circiter dimidia evaporatione dissipata, eadem Aceti quantitas addatur, et per vices repetatur operatio, usque ad perfectam saturationem. Liqueor ultimo ad dimidium evaporatione redactus per chartam coletur, et igne lenissimo vaporet ad siccitatem, caute evitando empyreuma.

Nota. Cum Sale Alcalino fixo vegetabili quoque parari potest.

PASTA ALTHÆÆ.

R. Radicis Althææ decorticatæ Uncias quatuor,
Aquæ fluviatilis Congium unum.

Coque ad dimidium. Colaturæ admisce

Gummi arabici pulverati,

Sacchari albi, singulorum Libras duas cum dimidia.

LENT igne coque ad extracti crassitudinem, baculo ligneo semper agitando. Ab igne remotum celeriter et multum agitetur, subinde admiscendo

Albumina viginti ovorum recentium, in spumam conquassata,

Aquæ Aurantii Unciam semis.

LENTO calore, sub perpetua agitatione inspissa, donec manibus non adhæreat; formetur dein pasta, pulvere Amyli conspergendæ.

PASTA AMYGDALINA.

Vulgo Pasta Regia.

R. Amygdalarum dulcium, decorticarum, Libram unam,

F

Amygdalarum amararum, decorticatarum,
Unciam unam cum dimi-
midia.

MIXTA contundantur, et terantur in morta-
rio lapideo cum Aquæ Aurantii q. s. Deinde
admisce

Sacchari albissimi pulverati Uncias qua-
tuordecim.

FIAT massa, quæ manibus tractata, eis non
adhæreat.

PASTA GLYCYRRHIZÆ.

R. Radicis Glycyrrhizæ decorticatæ Uncias
octo,

Aquæ fluviatilis bullientis Libras quatuor.
Infunde per nycthemeron, et in colatura solve
Gummi arabici,

Sacchari albissimi, singulorum Libras duas
cura dimidia.

COLATURA vaporet lenissimo igne, caute
evitato empyreumate, donec gutta, lapidi po-
lito frigido instillata, gelatinæ instar concre-
scat: tum in vase stanneo per duos dies retinea-
tur, et detracta pellicula, in patellas, oleo amyg-
dalino illitas, effundatur massa, in hypocausto
siccanda.

PILULÆ APERIENTES.

*Vulgo Pilulæ contra Obstructionem sive
Aperientes Stablii.*

R. Extracti Aloes aquosi Unciam unam,
Cathartici Unciam semis.

Ferri limaturæ præparatæ Drachmas duas.

Cum Syrupi simplicis q. s. misce ut fiat
massa.

PILULÆ CATHARTICÆ.

R. Extracti Cathartici Drachmas duas cum
dimidia,

Jalapæ Scrupulos duos,

Mercurii dulcis triti Drachmam unam,

Olei stillatitii Juniperi Scrupulum semis.

Cum Syrupi corticis Aurantiorum q. s. mi-
sce, ut fiat massa.

PILULÆ FOETIDÆ.

R. Assæ fœtidæ Drachmam unam cum dimidia.

Castorei Drachmam unam cum dimidia,

Salis succini Drachmam semis,

Olei Cornu Cervi Guttas quindecim.

Miscæ cum Tincturæ Myrrhæ q. s. ut fiat
massa.

PILULÆ HYDRAGOGÆ.

Vulgo Pilula Hydropica Bontii.

R. Gummi Ammoniaci Uncias duas,

Scillæ siccatæ Drachmas tres,

Aloes socotrinæ,

Gambogiæ, singulorum Drachmas duas,

Elaterii triti Grana sedecim.

Cum Tincturæ amaræ q. s. misce, ut fiat
massa.

PILULÆ POLYCHRESTÆ.

R. Extracti Gentianæ Unciam unam,

Aloes socotrinæ,

Croci,

Myrrhæ, singulorum Unciam semis.

Misceantur.

PILULÆ SAPONACEÆ.

Sive Pilula Antarthritica.

R. Saponis albi hispanici Uncias duas,
 Extracti Betulæ Unciam unam,
 Rhabarbari pulverati Drachmas duas.
 Misceantur.

PILULÆ E STYRACE.

R. Stryracis depuratæ Scrupulos quinque,
 Succi Glycyrrhizæ inspissati,
 Myrrhæ,
 Olibani,
 Opii, singulorum Drachmam unam.

MISCEANTUR optime, ut quando opus erit,
 fiat massa cum Vini hispanici q. s.

PLUMBUM USTUM.

PLUMBUM leni igne liquatum, assidue agitur
 spathula ferrea, donec in pulverem redactum sit.

PULPA CASSIÆ.

FRUCTUS Cassiæ, secundum longitudinem incisi, in aquæ fluviatilis calidæ q. s. macerentur, ut medulla solvatur, quæ per setaceum trajecta ad lenem ignem vaporet, continua agitatione evitando empyreuma, donec debitam acquisiverit crassitudinem. Singulis Pulpæ Libris tum admisce Mellis depurati Unciam semis.

Eodem modo extrahitur *Pulpa Tamarindorum et Prunorum gallicorum.*

PULVIS ABSORBENS.

Vulgo Pulvis contra acridinem.

R. Testarum Ostrearum preparatarum Uncias duas,

Magnesiæ albæ Unciam unam,
Cinnamomi pulverati Drachmam semis.

Misce, ut fiat pulvis.

PULVIS ABSORBENS CERATUS.

Vulgo Pulvis testaceus ceratus.

R. Cerae flavae q. pl.

LENI igne liquefactæ sensim admisce, sub
continua agitatione,

Chelarum Cancrorum pulveratarum q. s.
ut fiat pulvis.

PULVIS ALEXITERIUS.

Vulgo Pulvis sudoriferus Doveri.

R. Calcis Antimonii Unciam unam,

Radici Ipecacuanhæ pulveratæ Grana se-
decim,

Opii Grana octo.

Fiat pulvis bene miscendus.

PULVIS ALTERANS.

Vulgo Pulvis Plummeri.

R. Mercurii dulcis Unciam semis,

Sulphuris Antimonii præcipitati Unciam
unam,

Triturando misce in mortario vitreo.

PULVIS ANTHELMINTICUS.

Sive Pulvis contra vermes.

R. Seminum Cinae Drachmas tres,

Elæosacchari Tanacetii Drachmam unam
cum diimidia.

Salis Martis Drachmam semis.

Misce, fiat pulvis.

PULVIS ANTIMONIALIS.

R. Calcis Antimonii Uncias quinque,

PULVIS ANTIMONIALIS.

R. Calcis Antimonii Uncias quinque,
Tartari antimonialis Drachmam semis.
Trituratione in mortario lapideo vel vitreo
miscæ optime.

PULVIS ANTIMONII MARTIALIS.

Vulgo Pulvis Comitæ Bonde.

R. Antimonii preparati Uncias duas,
Lapidum Cancrorum Unciam unam cum
dimidia,
Salis Martis Unciam semis.

Miscæ, ut fiat pulvis.

PULVIS ARI COMPOSITUS.

Pulvis stomachicus Birkmanni.

R. Radicis Ari Drachmas duas,
Calami aromatici,
Pimpinellæ, singulorum Drach-
mam unam,
Canellæ albæ Drachmam semis,
Salis Herbarum Scrupulum unum.

Miscæ, ut fiat pulvis, vase bene clauso ser-
vandus.

PULVIS CONTRAJERVÆ
COMPOSITUS.

Vulgo Pulvis bezoardicus.

R. Calcis Antimonii Drachmas sex,
Radicis Contrajervæ Drachmas duas,
Cinnabaris factitiæ Drachmam semis.

Miscæ, ut fiat pulvis.

Nota. Paratur etiam cum Nitro purificato,
addita ejus Uncia semis, et tum vulgo *Pulvis
bezoardicus nitrosus* appellatur.

PULVIS CORDIALIS.

*Vulgo Pulvis Aureus sive Solaris
Zellenfis.*

R. Elaofacchari Cinnamomi Unciam unam,
Cinnabaris factitiæ pulveratæ Drachmas
duas.

Misce, et serua vitro bene clauso.

PULVIS DENTIFRICIUS.

R. Ossis Sepiæ Unciam unam,
Iridis florentinæ, Coccinellæ, cum Lixivii Tartari guttis ali-
quot trita, singulorum Unciam semis,
Tincturæ Myrrhæ, leni igne inspissatæ,
drachmas duas.

Misce, ut fiat pulvis.

PULVIS DIATRAGACANTHÆ.

R. Gummi Tragacantha,
Radicis Althææ decorticatæ,
Sacchari albissimi, Pares portiones.

Mixta in pulverem redigantur.

PULVIS DIGESTIVUS.

R. Sodæ tartarifatæ Uncias duas cum dimidiâ,
Rhabarbari Drachmas sex,
Iridis florentinæ Drachmas tres.

Mixta in pulverem redigantur.

PULVIS JALAPÆ COMPOSITUS.

R. Radicis Jalapæ,
Gentianæ rubræ, Singulorum Unciam
unam,
Salis Cathartici amari, Uncias duas.

Pulverata misce.

PULVIS INFANTUM.

Vulgo Pulvis puerorum Rosensteinii.

R. Magnesiæ albæ Unciam unam,
Rhabbarbari Drachmam unam,
Confectionis seminum Fœniculi Drachmam
semis.

Misce, et in pulverem redige.

PULVIS NITROSUS.

R. Nitri purificati,
Crystallorum Tartari, singulorum Unciam
unam,
Sacchari albissimi Uncias quatuor.

Misce, ut fiat pulvis.

PULVIS NUTRICUM.

R. Megnesiæ albæ Unciam unam,
Flavedinis corticum Aurantium,
Seminum Fœniculi, singulorum Drachmam
unam,

Sacchari albissimi Drachmas duas,

Mixta in pulverem redigantur.

PULVIS PECTORALIS.

R. Iridis florentinæ Scrupulos quinque,
Zingiberis Scrupulum unum,
Croci Scrupulum semis,
Sacchari canthi Drachmas tres,

Misce, et in pulverem redige.

PULVIS REFRIGERANS.

R. Salis Essentialis Tartari Unciam semis,
Sacchari albissimi, Uncias sex,
Olei Citri Guttulas tres.

Mixta in pulverem redigantur.

PULVIS SCILLITICUS.

R. Scilla siccata Drachmam semis,
 Radicis Vincetoxici Drachmas tres,
 Nitri purificati Unciam semis,
 Misce, et in pulverem redige.

PULVIS SEDATIVUS.

Vulgo Pulvis antispasmodicus Rosensteinii.

R. Opii Scrupulum semis,
 Nitri purificati Scrupulos quinque,
 Sacchari albissimi Unciam unam,
 Mixta in pulverem redige.

PULVIS STERNUTATORIUS.

Vulgo Pulvis Cephalicus.

R. Foliorum Asari,
 Majoranae,
 Florum Lili Convallium, Pares portiones.
 Misce, et in pulverem redige.

RESINA JALAPÆ.

R. Radicum Jalapæ contusarum q. pl.
 Affunde

Spiritus Vini rectificati q. s.

DIGERE leni calore per unum alterumve diem. Spiritum tinctum per chartam cola, aliumque radicibus affunde, digere iterum et cola. Hoc repetatur, donec spiritus non tingatur, vel nil ulterius extrahat. Tincturas commixtas in cucurbita vitrea ad pauci liquoris remanentiam abstrahe, et residuo admisce aquæ frigidæ fluvialis paulum, ut præcipitetur resina, quæ lenissimo calore siccetur.

F 5

ROB JUNIPERI.

R. Baccarum Juniperi maturarum, a sordibus mundatarum et leniter contusarum, q. pl.

AFFUSA aqua frigida macerentur per diem unum alterumve vase ligneo apto, cujus fundus, foramine præditus, bacillis ligneis et stramine puro tectus sit. Liquorem deinde foramine aperto trajectum iteratis vicibus reafunde, donec bæcæ sapore prorsus orbata sint. Liquor postea leni igne vaporet ad mellis spissitudinem.

ROB SAMBUCCI.

Succus e bæccis Sambuci maturis expressus leni calore spissescat in mellis crassitudinem.

Si cum saccharo paratus desideratur, sacchari albi parte una admixta succi expressi partibus duabus, inspissatio fiat, ut modo dictum est.

Nota. Simili modo para *Rob Ribium nigrorum* et *Rubi nigri*, cum saccharo.

SACCHARUM CITRATUM.

Vulgo Morsuli citri.

R. Sacchari albilimi Uncias quatuor.

In subtilem pulverem redacto admisce

Succi Citri concentrati Drachmas tres.

PATELLÆ vitreæ vel lapideæ impone, loco calido exsicca, et postea in pulverem contere, adjiciendo

Olei Citri guttas duas.

Nota. Si succi Citri loco sumitur Acetum vini concentratum, fit *Oxysaccharum*.

SACCHARUM LACTIS.

R. Seri lactis, cum coagulo vitulino parati,
Congium unum cum dimidio.

LENI igne vaporet ad libras tres: tum in
locum frigidum seponet, ut crystalli formentur.
Liquor superstes iterum leniter vaporet, ut in
loco frigido crystallos ponat.

Si impuræ sunt crystalli, solutione in aqua
fluviali purissima et crystallifatione iterata
purificentur, donec sacchari instar albæ
evadant.

SAL ACETOSELLÆ.

R. Succii Acetosellæ expressi q. pl.

LEVITER ebulliat, ut faeces separentur, dein
pluries coletur, donec limpidus evadat, et tum
leni vaporet igne in mellis fere crassitudinem.
Succo hoc refrigerato impleantur vasa vitrea
angustioris colli, suffuso Olei olivarum tantillo,
ut aëris accessus avertatur. In cella vel alio
loco frigido reponantur, ut fiant crystalli, quæ,
iterata in aqua fluviali purissima solutione et
crystallifatione, depurentur.

SAL ALKALI VEGETABILE
FIXUM.

Vulgo Cineres Clavellati purificati.

A. Cinerum Clavellatorum Libras duas,
Aquæ fluvialis calidæ Libras tres.

Fiat lixivium.

PER linteum frigide colatum vaporet ad
siccitatem, et tum in crucibulo, igne satis
valido, fluat. Sal hoc iterum in aqua solve,

dum fœces subsiderint, lixivium decantha, quod evaporatione ad siccitatem perfectam redactum, vase bene clauso serva.

SAL AMMONIACUM
DEPURATUM.

SAL ammoniacum in aquæ fluviatilis, quantum satis est, solvatur. Solutio per chartam colata in vase vitreo leni calore vaporet ad siccitatem.

SAL ESSENTIALE TARTARI.

R. Cretæ in pulverem tenuissimum trita Libras duas,

Aquæ fluviatilis Congios sex.

IN ahenno stanneo coquantur leniter per semihoram, et reponantur dein loco frigidus, ut subsidat creta. Aqua supernatante abjecta, creta remanenti iterum affundantur

Aquæ Congii quatuor.

POST brevem ebullitionem sensim admisceantur

Pulveris crystallorum Tartari Libræ septem vel q. s. ad saturationem.

VASE ab igne remoto, post semi horam Lixivium limpidum supernatans caute a sedimento decantheretur in aliud ahenum stanneum, et eadem adhuc cautione residuum bis vel ter lavetur cum

Aquæ Congiis duobus.

ELIXATIONES vero omnes commixtae per chartam colentur, et ad siccitatem vaporent, ut colligatur TARTARUS TARTARISATUS, qui seorsim fervetur.

In phialam dein immittatur residuum five Selenites tartareus, cui sensim suffundantur

Acidi vitrioli tenuis Libræ sedecim cum dimidia.

MIXTURA super arenam calidam spathula lignea sæpius subacta, et per diem digesta, liquor acidus supernatans decantheur in phialam decollatam; residuo vero admisceantur

Aquæ Congii duo.

PER chartam fiat colatio, quæ iterata aquæ affusione continuetur, donec liquor trajectus acidum perdat saporem.

Dein abjecto Gypso in filtro remanente, elixationes acidæ in phiala supradicta commisceantur, et in arena vaporent ad consistentiam Syrupi tenuioris, qui iterum percolatus ad crystallandum in cella reponatur. Crystalli tandem Acidi hujus Tartari, post repetitas evaporationes collectæ, super chartam emporeticam leni calore siccantur.

Nota. Si ante crystallationem paucillum liquoris Acidi inspissati cum quadruplo Aquæ puræ diluatur, et guttæ nonnullæ Aceti Saturnini addantur, album mox subsidit sedimentum: huic si guttulæ aliquot Acidi nitri affundantur, limpida extemplo fit mixtura, si purus sit Liquor tartareus ac ab Acido vitriolico penitus liber, sin minus, statim lactescit; Vitio vero illi mederi poteris, si Acidum Tartari cum Aquæ libris sex denuo diluatur, et Selenitidis tartarei uncia nonnullæ addantur, subsequente scilicet digestionem, colatione atque crystallatione.

SAL HERBARUM FIXUM.

Vulgo Sal Absinthii.

HERBA Absinthii, vel alius plantæ amaræ, una cum stipitibus, in furno cibario redigatur in cineres, pui in sartagine calcinentur, donec albescant, et postea solventur in Aquæ fluviatilis calidæ q. s. Lixivium, per chartam colatum, supra lenem ignem vaporet ad siccitatem; et Sal, iterata in Aqua solutione, colatione et evaporatione purum albumque redditum, in vase vitreo sollicitè clauso servetur.

SAL MARTIS.

Sive Vitriolum Martis.

R. Acidi Vitrioli fortis Uncias octo.

Cautè sensimque admisce

Aquæ fluviatilis calidæ Libras duas,

Ferri purissimi limati Uncias quatuor.

DIGERE leni calore per duodecim horas. Solutio, per chartam colata, leniter vaporet ad cuticulam, et in loco frigido seponatur, ut crystalli formentur. Liquorem supernatantem decantha, et post lenem evaporationem iterum frigido loco sepone, ut crystallos dimittat. Crystalli omnes collectæ super chartam lenissime siccantur.

SAL SATURNI.

Vulgo Saccharum Saturni.

R. Cerussæ in laminis pulveratæ q. pl.

Aceti Vini destillati q. s. ad supereminentiam aliquot digitorum,

In vase plumbeo vel cupreo coque, donec acetum dulcescat, quod tum per chartam coletur. Massæ residuæ iterum affunde

Aceti Vini destillati q. s.

COQUE leniter, et cola ut antea. Liquores mixti vase vitreo vaporent ad mellis liquidioris crassitiem, ut in loco frigido crystallas ponant.

SAL SEDATIVUM.

Vulgo Sal Hombergii.

R. Boracis Unciam unam,

Aquæ fluvialis calidæ Libram unam.

MISCE in vase vitreo, ut Borax solvatur. Tum instilla

Acidi Vitrioli fortis Unciam semis.

LENI calore vaporent ad cuticulam apparentem, ut quiete crystalli formentur, quæ Aqua frigida ablutæ ferventur.

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI.

R. Salis ammoniaci Libram unam,

Cretæ albæ præparatæ Libras duas.

PULVERATA commisceantur in cucurbita vitrea, et mox adaptato alembico, junctisque lutatis, fiat sublimatio igne fortiori.

SAL VOLATILE ET OLEUM SUCCINI.

R. Succini fragmentorum q. pl.

Ex retorta vitrea, recipiente capaci adaptato, fiat destillatio in arena, leni igne, ut

phlegma seu spiritus primum ascendat, dein Sal olei pauxillo tinctum. Tum auferatur vas recipiens, et Sal e collo retortæ eximatur. Alio postea recipiente adaptato, et aucto igne, destilletur Oleum flavum, rubrum ac tandem fuscum.

SAL super chartam bibulam exsicceetur; quod vero oleo inquinatum est, in phlegmate proprio et Spiritus vini rectificati pauxillo solvatur, ac mixtura hæc per chartam colata, post lenissimam evaporationem seponatur, ut crystalli formentur.

OLEUM aquæ puræ sextuplo addito e retorta vitrea rectificetur.

Nota. Sal hoc et Oleum, aliunde plerumque ad nos veniunt.

SCILLA SICCATA.

BULBI Scillæ, si recentes sunt, ablato cortice exteriore, secentur in taleolas tenues, quæ lenissimo calore siccantur.

SERUM LACTIS CLARIFICATUM.

R. Lactis Vaccini recentis Libras sex.

In vase terreo calefacto adde

Coaguli Vitulini, in aquæ q. s. soluti,
Drachmam unam.

Ebulliant simul, et serum coletur.

Huic dein adde

Albumina trium ovorum in spumam agitata, et cum Cremoris Tartari Granis triginta sex mixta.

EBULLIANT ter vel quater, et postea per lineum colentur.

SODA DÉPURATA.

Sive Sal Alkali Minerale fixum.

R. Sodæ Hispanicæ pulveratæ q. pl.
 Aquæ fluvialialis bullientis q. s. ad solutionem.

LIXIVIUM per chartam coletur et, post lenem evaporationem, in vase vitreo et loco frigido seponatur, ut crysalli formentur.

SODA TARTARISATA.

Vulgò Sal Seignetti sive Rupellense.

R. Crystallorum Tartari Libras tres,
 Aquæ fluvialialis Congios quatuor.
 In vase stanneo bullientibus adde
 Cinerum clavellatorum q. s. ad saturationem.

Postea adjice

Salis communis Ūncias undecim.

SOLUTIONEM per chartam cola et loco frigido sepone, ut crysalli formentur. Sal, prima, secunda et tertia crysallificatione obtentum, serva.

Nota. Protractæ inspissationes residui exhibent *Sal digestivum* sic dictum *Sylvii*, ad condiendos flores imprimis idoneum. Soda tartarificata alias parari solet e Soda depurata et Crystallis Tartari ad saturationem commixtis.

SPECIES ANODYNÆ.

R. Foliorum Hyoscyami,
 Verbasci,
 Herbx Linariæ, Pares portiones.
 Mixta incidantur.

G

SPECIES ANTISCORBUTICÆ.

- R. Turionum Pini, vel Abietis, recentium
 Uncias tres,
 Herbar̄ recentis Cochleariæ Libram semis.
 Trifolii aquatici Unciam
 unam.

Incisa misce.

SPECIES CEPHALICÆ.

Vulgo Species pro cucupha.

- R. Radicis Indis florentinæ pulveratæ,
 Herbar̄ Majoranæ,
 Florum Lavendulæ, Pares portiones.

Incisa misce.

SPECIES EMOLLIENTES.

- R. Foliorum Malvæ Libras duas,
 Florum Chamomillæ vulgaris Libram
 semis.

Incisis admisce

Farinæ feminum Lini Libram unam.

SPECIES FUMALES.

- R. Olibani Uncias duas,
 Styracis,
 Anime, singulorum Drachmas sex,
 Succini Drachmas duas,
 Florum Rosarum rubrarum,
 Lavendulæ, singulorum Drach-
 mam unam cum dimidia.

Misceantur.

SPECIES PRO GARGARISATE.

- R. Foliorum Salviæ,
 Stipitum Ribis nigri, singulorum Libram
 semis,

Florum Sambuci Uncias tres.
 Incisa misce.

SPECIES PECTORALES.

R. Herbae Cerefolii Uncias tres,
 Hyssopi Unciam unam,
 Florum Verbasci Unciam semis,
 Anisi stellati Drachmam unam.

Incisa commisce.

SPECIES RESOLVENTES.

R. Herbae Absinthii,
 Menthae crispae, singulorum Libram
 unam,
 Strobilorum Lupuli Libram semis.

Incisa commisce.

SPECIES PRO THEA.

R. Foliorum et summitatum Melissae Libram
 unam,
 tenerrimorum Ribris nigri
 Unciam unam.

Incisa misceantur.

SPIRITUS ÆTHEREUS
NITROSUS.

Vulgo Spiritus Nitri dulcis.

R. Spiritus Vini rectificati Libras duas.
 Cucurbita vitreae capaci indito, gradatim in-
 stilla

Acidi Nitri Libram semis.

MIXTA digere per duodecim horas, et bal-
 nei calore destillationi subijce, cavendo ne
 acidi quid ascendat.

G 2

SPIRITUS ÆTHEREUS
VITRIOLATUS.

*Vulgo Liquor mineralis anodynus Hoffmanni,
sive Spiritus vitrioli dulcis.*

R. Spiritus Vini rectificatissimi Libras novem.
In cucurbita vitrea gradatim instillando ad-
misce

Acidi Vitrioli fortis Libras tres.

Excipulo mox applicato, et arctissime con-
glutinato, destilletur primum lento arenâ igne
pars dimidia. Adapteretur tunc aliud vas reci-
piens, et eliciantur Unciæ circiter octo: quæ
operatio quater vel quinquies repetenda, do-
nec odor prodire incipiat sulphureus. Ultimo
hoc destillato abjecto, commisceantur priora,
et in vase rite obturato serventur.

SPIRITUS AROMATICUS.

*Vulgo Balsamum Embryonum, sive Aquâ
Vitæ Mulierum.*

R. Foliorum Menthæ piperitidis Uncias tres,
Corticis Culilavan Uncias duas,
Flavedinis recentis Aurantium,
Seminum Angelicæ,
Piperis Jamaicensis, singulorum Unciam
unam,
Macis Unciam semis,
Spiritus Vini Gallici, Congium unum,
Aquæ q. s. ut evitetur empyreuma.
MISCE, et destillatione elice circiter Con-
gium unum.

SPIRITUS AURANTIORUM.

R. Corticis Aurantiorum recentium Libram unam,

Spiritus Vini gallici Libras tres.

DESTILLATIONE balnei calore eliciantur libræ duæ.

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

R. Herbæ Cochleariæ recentis Libras decem,
Spiritus Vini gallici Congium unum.

DESTILLATIONE balnei calore eliciantur libræ quatuor.

SPIRITUS, SAL ET OLEUM
CORNU CERVI.

R. Cornuum Cervi fragmentorum q. pl.

Ex retorta ferrea tabulata, cui adaptatum est vas recipiens amplum cum tubo intermedio, fiat destillatio igne aperto, gradatim ad summum fere aucto. Ascendent Spiritus, Sal et Oleum.

SPIRITUS et SAL purificantur, si commixta, et ab OLEO separata, iterum lenissimo calore destillentur. Si hoc aliquoties et caute repetatur, sal albissimum, et spiritus aquæ instar limpidus evadit.

Sal citius purificatur, si, a spiritu separatum, sublimetur primum cum Cretæ purissimæ pondere æquali, deinde cum spiritus vini rectificati pauxillo.

SPIRITUS FORMICARUM.

R. Formicarum, mensibus Junii et Julii cum acervo collectarum, Libram unam.

Spiritus Vini gallici Libras duas,
 Aquæ fluviatilis Libram unam,
 BALNEI calore eliciatur Libra una cum di-
 midia.

SPIRITUS LAVENDULÆ.

R. Florum Lavendulæ recentium Libram
 unam cum dimidia,

Spiritus Vini gallici congiun-
 ctum unum.
 BALNEI calore destilla Libras quatuor.

SPIRITUS LAVENDULÆ
 COMPOSITUS.

Vulgo Aqua apoplectica.

R. Spiritus Lavendulæ Libras tres,
 Rosmarini Libram unam,
 Cinnamomi,
 Nucis moschatae, singulorum Unciam
 semis,
 Santali rubri Drachmas tres.

MACERA per quatuor dies, et cola.

Nota. Paratur etiam sine Santalo.

SPIRITUS ROSMARINI.

Vulgo Aqua Regina Hungariae.

R. Foliorum et florum Rosmarini recentium
 Libras duas,

Spiritus Vini gallici Congium unum.

BALNEI calore destilla Congium semis.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

Vulgo Spiritus salis ammoniaci vinosus.

R. Salis ammoniaci,
 alkalini fixi vegetabilis, singulorum
 Libram unam,

Spiritus Vini rectificati Libras duas,

Aquæ fluviatilis Libram unam.

LENI arenæ calore destilla Libras duas.

**SPIRITUS SALIS AMMONIACI
CAUSTICUS.**

*Vulgo Spiritus Salis ammoniaci cum calce
viva, sive Alkali volatile causticum.*

R. Calcis perfecte vivæ Libras duas,
Aquæ puræ Libram unam.

In retorta vitrea capaci sensim mixtis, post ab-
solutam Calcis extinctionem admisce

Salis ammoniaci pulverati Libram unam.

Excipulo amplo, cui Aquæ puræ Unciæ
tres ante sint infusæ, mox applicato et artissi-
me lutato, fiat lenissimo calore destillatio;
quamdiu prodit Liquor volatilis, qui in lagena
vitrea, epistomio vitreo munita, fervetur.

**SPIRITUS SALIS AMMONIACI
SUCCINATUS.**

R. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias qua-
tuor,

Olei Succini rectificati Drachmam unam.

Digere leni calore per horæ dimidium, et tum
guttatim instilletur hic Spiritus in

Spiritus Salis ammoniaci caustici q. s. ut
lacteum colorem acquirat.

PLERUMQUE Spiritus Vini Oleo Succini im-
buti Drachma una ad Spiritus Salis ammoniaci
caustici Unciam unam requiritur.

SPIRITUS TURIONUM PINI.

R. Turionum Pini recentium, et primo vere
collectorum, Libram unam,

Spiritus Vini gallici Libras tres.

CALORE balnei destilla Libram unam, cum dimidia.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

R. Spiritus Vini rectificati Uncias sedecim,
Camphoræ Unciam unam,

Misce.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

R. Spiritus Vini gallici q. pl.

Ex vesica per alembicum stanneum destilla destilla leni calore ad dimidium.

Si ex hoc spiritu rectificato iterum destillatione leni eliciatur tertia pars, habebitur SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, vulgo *Alcohol* dictus.

SPIRITUS VOLATILIS

AROMATICUS.

Vulgo Sal volatile oleosum Sylvii.

R. Spiritus Salis ammoniaci Libram semis,

Olei destillati Piperis jamaicensis Scrupulos duos,

Cinnamomi Scrupulum semis,

Citri Scrupulum unum,

Misce, ut olea solvantur.

SPIRITUS VULNERARIUS.

Vulgo Aqua Selopetaria.

R. Summitatum Millefolii Libram unam cum dimidia,

Foliorum Rosmarini,

Herbæ Thymi, singulorum Libram semis,

Spiritus Vini gallici Congios duos.

MACERA sine calore per biduum, et destillatione elice Congium unum.

Nota. Si spiritui huic Aceti destillati tertia pars admiscetur, SPIRITUS VULNERARIUS *Acidus* vocatur.

SPONGIA PRÆPARATA.

SPONGIAM tenuem exsiccatam, et ab arenulis purgatam immerge, Cerae flavæ liquefactæ; prælo deinde fortiter expressam et frige factam serva.

STANNUM PULVERATUM.

IN pyxide commoda, creta intus obducta, vel in mortario ferreo parum calefacto, stannum liquefactum assidue agitur, donec redigatur in pulverem, separandum a metalli particulis grandioribus, quæ liquefactæ eodem modo tractentur.

STYRAX DEPURATA.

STYRAX in Spiritus Vini rectificati q. s. solvatur, et solutio per chartam colata, lenissimo calore Spiritum abstrahendo, redigatur ad debitam soliditatem.

SUCCUS ANTISCORBUTICUS,

R. Succi Cochleariæ Partes tres,
Acetosæ Partem unam.

MIXTI per subsidentiam depurentur,

SUCCUS JAPONICUS DEPURATUS,

Succus Japonicus in Aquæ q. s. solvatur, Solutio colata leni calore ad siccitatem vaporet.

SULPHUR ANTIMONII
PRÆCIPITATUM.

Vulgo Sulphur Auratum Antimonii.

R. Cinerum clavellatorum Libram semis,
Antimonii pulverati Uncias quatuor.

MIXTA cochleatim injice in crucibulum candens, ut fluant validissimo igne. Post semihoram effunde in mortarium ferreum calidum, et massam pulveratam coque in aqua pura Congiis duobus. Solutioni, per chartam colata et refrigerata, instilla Acidum vitrioli tenue cum aqua triplo dilutum, quamdiu aliquid præcipitatur. Pulverem hunc depositum, aqua calida affusa, ablue et caute sicca.

SYRUPUS ACETI

Vulgo Syrupus acetosus simplex.

R. Aceti Vini Libras duas,
Sacchari albissimi Libras quatuor.

In vase vitreo fiat leni calore syrupus.

SYRUPUS ALLII.

R. Allii recentis, confecti, Libram unam,
Aquaë fluviatilis, ferventis, Libras duas.

Macera per horam vase clauso. Colaturæ
Unciis quatuordecim adde

Sacchari albissimi Libras duas.

Sine calore fiat syrupus.

SYRUPUS ALTHÆÆ.

R. Radicis Althææ Libram semis,
Aquaë fluviatilis Libras sex.

Coque ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ expressæ, et subsidentia depurata, adde

Sacchari albissimi Libras sex.

Coque leni igne ad consistentiam syrupi,
cui refrigerato adde

Aquæ Aurantii Uncias duas.

SYRUPUS AMYGDALINUS.

Vulgo Syrupus hordeatus.

R. Amygdalarum dulcium Libram unam,
amararum, Drachmas duas;

In mortario lapideo cum pistillo ligneo con-
tunde, sensim addendo

Decocti hordei Libras duas.

Colaturæ expressæ Unciis decem adde

Sacchari albissimi Libram unam cum di-
midia.

Calore lenissimo fiat syrupus, cui refrigerato
addatur

Aquæ Aurantii Drachma una.

SYRUPUS APERIENS.

Vulgo Syrupus e quinque radicibus.

R. Radicis Apii,

Fœniculi,

Petroselini,

Taraxaci, singulorum Uncias
tres,

Aquæ fluviatilis Congium unum cum di-
midio.

Coque ad colaturæ Congium unum, cui
adde

Sacchari albissimi Libras duodecim.

Fiat syrupus.

SYRUPUS ARMORACIÆ.

R. Succı e radicibus Armoracię recenter expressi, et subsidentia depurati, Libram unam,

Sacchari albissimi Uncias viginti duas.

Misce, ut fiat sine coctione syrupus.

SYRUPUS AURANTIORUM
E CORTICIBUS.

R. Flavedinis corticum Aurantium, ab albedine mundatę, Libram semis,

Aquę fluviatilis, bullientis, Libras tres.

Vase clauso infunde per biduum, et colaturę subsidentia depuratę adjice

Sacchari albissimi Libras quinque,

LENISSIMO calore fiat syrupus.

SYRUPUS EX AURANTIORUM
SUCCO.

R. Succı Aurantium, recenter expressi et subsidentia depurati, Libram unam,

Sacchari albissimi Libras duas.

DISSOLUTIONE calida in vase vitreo fiat syrupus.

Eodem modo para syrupum e succis *Cerasorum nigrorum* cum nucleis, *Citri*, *Mororum*, *Myrtillorum*, *Rubi Arctici*, *Rubi idai*, *Ribium nigrorum* et *rubrorum*.

Nota. Ut hi syrups, e succis facti, diutius boni conservedentur, addatur Mellis purissimi pars una ad syrups partes viginti quatuor.

SYRUPUS BALSAMICUS.

R. Benzoes Unciam unam,

Styracis Unciam semis,

Aquæ fluviatilis Libram unam cum dimidia.

Coque lenissimo calore ad colaturæ Libram unam. Huic adde

Sacchari albissimi Libras duas.

Fiat syrupus.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

R. Herbæ Capillorum Veneris Unciam unam,

Aquæ fluviatilis, bullientis, Libras sex.

Infunde per duas horas. Colaturæ adde

Sacchari albissimi Libras octo.

Fiat syrupus, cui refrigerato addantur

Aquæ Aurantii Unciæ duæ.

SYRUPUS PAPAVERIS.

Vulgo Syrupus e Meconio, sive Diacodium simplex.

R. Capitum Papaveris, mediocriter maturorum, modice siccatorum et a feminibus purgatorum, Uncias quatuordecim,

Aquæ fluviatilis, bullientis, Congium unum.

Macera per noctem. Tum leni calore coque ad dimidium. Colaturæ fortiter expressæ adde

Sacchari albissimi Libras quatuor.

Fiat syrupus.

SYRUPUS RHEI.

Vulgo Syrupus Cichorii cum rheo.

R. Radicis Taraxaci incisæ Libram semis,

Aquæ fluviatilis Libras tres.

Coque ad dimidium, cui per nycthemeron,
loco calido, infunde

Rhabarbari, minutim concissi, Uncias
duas,

Salis Tartari Drachmam semis.

Colaturæ expressæ adde

Sacchari albissimi Libram cum unam dimidia.

Fiat syrupus.

SYRUPUS ROSARUM.

R. Florum Rosarum damascenarum, siccato-
rum, Libram semis,

Aquæ Rosarum Congium semis.

Macera per noctem. Colaturæ adde

Sacchari albissimi Libras septem.

Fiat syrupus sine coctione.

Syrupus SAMBUCINUS.

R. Succi baccarum Sambuci, nuper expressi et
subsidencia depurati, Libras quatuor.

Lenissimo igne vaporet ad libras duas. Tum
adde Sacchari albi Libras tres.

Unica ebullitione fiat syrupus.

SYRUPUS SCILLITICUS.

Vulgo Syrupus ex hyssopo Zwelfferi.

R. Scillæ siccatae Unciam unam,

Zingiberis Unciam semis,

Foliorum siccatorum Hyssopi Uncias duas,

Aquæ Hyssopi Libras duas.

Macera in phiala clausa per nycthemeron.

Colaturæ expressæ, subsidencia depuratæ,
adde

Sacchari albissimi Libras tres.

Unica ebullitione fiat syrupus.

SYRUPUS SIMPLEX.

Vulgo Syrupus albus sive Sacchari.

R. Sacchari albissimi Libras tres,

Aquæ fluviatilis Libram unam cum dimidia.

Unica ebullitione fiat syrupus.

SYRUPUS VIOLARUM.

R. Florum Violarum recentium, a calycibus purgatorum, Libram unam,

Aquæ fluviatilis Libras tres.

MACERA per duodecim horas in vase vitreo.

Colaturæ, per subsidentiam depuratæ, singulis Libris adde Sacchari albissimi Libras duas, ut fiat syrupus sine calore.

TARTARUS ANTIMONIALIS.

Vulgo Tartarus emeticus sive stibiatus.

R. Caustici antimonialis q. v.

Immitte in aquam fervidam, ut præcipitetur Pulvis albus antimonialis, qui bene lotus siccetur.

Hujus Pulveris Unciæ quatuor cum dimidia,

Cremoris Tartari, in pulverem triti, Unciæ decem.

COQUANTUR leniter cum Aquæ fluviatilis Congio uno. Solutio colata in vase vitreo ad pelliculam vaporet, ut leni digestionis calore fiant crysalli, sensim separandæ, atque in charta bibula exsiccandæ.

TARTARUS TARTARISATUS.

Vulgo Tartarus solubilis.

R. Salis Alkali vegetabilis fixi Libras duas,
 Aquæ fluviatilis Congium unum.
 Coque ad solutionem, et tum adde
 Crystallorum Tartari in pulverem trito-
 rum q. s. ad saturationem.

MIXTURA etiamnum calens per pannum la-
 neum coletur, et leni igne vaporet ad siccita-
 tem.

Nota. Alias paratur e Sale Tartari Crystal-
 lis Tartari saturato.

TARTARUS VITRIOLATUS.

R. Acidi Vitrioli fortis q. pl.
 Aquæ fluviatilis calidæ Decuplum.
 In vase vitreo capaci mixtis adde
 Salis Alkali vegetabilis fixi in Aquæ duplo
 solutiq. s. ad saturationem.

LIQUOR per chartam coletur, et, post debi-
 tam exhalationem, in loco frigidiusculo ponat-
 ur, ut crystalli formëntur.

Nota. Alias parari solet e Sale tartari, Aci-
 do vitrioli saturato.

THERIACA.

R. Pulveris radicis Angelicæ Uncias decem,
 Valerianæ Uncias septem,
 Zedoariæ Uncias tres,
 Cardamomi minoris decorticati
 Uncias duas,
 Croci,
 Myrrhæ,

Opii, singulorum Unciam unam, Syrupi Sambucini crassioris Triplum ad pondus omnium, vel Uncias septuaginta et quinque.

OPIUM in Vini Hispanici q. f. solutum addatur Syrupo, et postea, sub continua agitatione, gradatim admisceantur pulveres.

Nota. Si arefcit diu servata, ad crassitudinem debitam Vino Hispanico admixto redigi debet.

THERIACA DIATESSARON.

R. Radicis Angelicæ,
Gentianæ,

Baccarum Lauri,

Myrrhæ, singulorum Uncias duas,

Mellis depurati Libras duas.

SPECIES pulveratæ indantur patellæ, cui antea inest Mellis calidi tantillum, idque successive fiat, semper agitando. Tandem Myrrha, Vino diluta, subigatur cum ceteris.

TINCTURA AMARA.

Vulgo Essentia Absinthii composita.

R. Herbæ Absinthii Uncias duas,

Pomorum viridum Aurantiorum, sic-
catorum,

Galangæ,

Foliorum Cardui benedicti, singulorum

Unciam semis,

Spiritus Vini gallici Libras duas.

DIGERE per triduum, et per chartam
cola.

H

TINCTURA AROMATICA.

Vulgo Essentia carminativa.

- R. Canellæ albæ,
Cinnamomi,
Galangæ, singulorum Unciam semis,
Cardamomi decorticati Drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
MACERA per triduum, et per chartam cola.

TINCTURA AURANTIORUM.

Vulgo Essentia corticum Auranticorum.

- R. Flavedinis corticis Aurantium recentium
Libram semis,
Spiritus Vini rectificati Libras tres.
DIGERE lenissimo calore per triduum, et
per chartam cola.

Nota. Si Spiritus Vini rectificati loco sumitur Spiritus Aurantium, et sacchari canthi Unciæ novem adduntur TINCTURA AURANTIORUM DULCIS appellatur.

TINCTURA BENZOES.

- R. Benzoes Uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.
DIGERE per triduum, et per chartam cola.

TINCTURA CASTOREI.

- R. Castorei Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
DIGERE per triduum, et cola per chartam.

TINCTURA FULIGINIS.

- R. Fuliginis splendentis pulveratæ Uncias duas,
Cinerum clavellatorum Libram semis,
Salis ammoniaci Unciam unam,
Aquæ fluviatilis Libras tres.

DIGERE in vase vitreo clauso per triduum et per chartam cola.

TINCTURA GUAJACINA.

R. Resinæ Guajaci Unciam unam,
Spiritus volatilis aromatici Libram semis.
MACERA in vase vitreo clauso per biduum,
et cola.

TINCTURA LACCÆ.

R. Laccæ tritæ Unciam unam,
Myrrhæ Drachmas tres,
Spiritus Cochleariæ Libram unam cum di-
midia.

DIGERE leni calore per tres dies, et cola.

TINCTURA MARTIS.

R. Ferri purissimi, in laminis, Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias decem.
In phiala vitrea capaci mixtis sensim adde
Acidi Salis communis Uncias quinque.
DIGERE in arena per nycthemeron, et per
chartam cola.

TINCTURA MYRRHÆ.

R. Myrrhæ Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
DIGERE per tres dies, et cola.

TINCTURA PIMPINELLÆ.

sive Essentia Pimpinellæ.

R. Radicis Pimpinellæ Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
DIGERE per triduum, et cola.

TINCTURA PINI.

R. Extracti turionum Pini Uncias duas,

Spiritus turionum Pini Libram unam.
DIGERE per biduum, et cola.

TINCTURA SCILLÆ.

Vulgo Essentia Scilla Württembergica.
R. Scilla siccata, conficissæ, Unciam unam,
Liquoris digestivi Libram semis.

Mixta vaporent leni igne in vase vitreo ad
Mellis crassitudinem. Tum adde

Spiritus Vini rectificatissimi Libram semis.
DIGERE per triduum, et tincturam de-
cantha.

TINCTURA SUCCINI.

R. Succini flavi, pulverati, Unciam unam,
Spiritus ætherei Vitriolati Uncias quatuor.

IN vase vitreo optime clauso digere per tri-
duum lenissimo calore, subinde vas concu-
tiendo, et postea per chartam cola.

TINCTURA THEBAICA.

*Vulgo Laudanum liquidum Sydenhamii, sive
Tinctura Opii.*

R. Opii Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Uncias quatuor,
Aquæ Cinnamomi Uncias sedecim.

DIGERE per triduum, et cola.

TROCHISCI BECCHICI ALBI.

R. Radicis Iridis florentinæ Drachmas sex,
Glycyrrhizæ, Drachmas tres,

Amyli Unciam semis,

Sacchari albi Uncias octo.

CUM mucilaginis e Tragacantha q; s. fiant
trochisci.

Si Croci pulverati Scrupuli duo adduntur,

pro lubitu formari possunt, TROCHISCI BEC-
CHICI FLAVI vel BACULI DE LIQUIRITIA.

VINUM AMARUM.

R. Corticis Aurantiorum recentium Drach-
mas sex.

In mortario lapideo contunde in massam
pultriformem, cui tum adjice

Radiciſ Gentianæ Unciam unam,

Piperis nigri Drachmam ſemis,

Vini hispanici Libram unam.

DIGERE per biduum et cola.

VINUM ANTIMONIATUM.

*Vulgo Essentia Antimonii Huxhami
ſive Emetica.*

R. Vitri Antimonii pulverati Unciam unam,
Vini hispanici Libras duas.

IN vaſe vitreo clauſo digere per ſex dies, ſub-
inde concutiendo. Subſidat per unum alterumque
diem, et Vinum per inclinationem effuſum et a
Vitro Antimonii ſeparatum, per chartam cola.

VINUM CHALYBEATUM.

R. Limaturæ Ferri puriſſimi Unciam unam,
Cinnamomi Drachmas tres,
Vini rhenani Libram unam.

DIGERE per triduum, et cola.

VINUM SCILLITICUM.

R. Scillæ ſiccata, conſciſſæ, Unciam unam,
Zingiberis Drachmam unam,
Vini albi gallici Libras duas.

MACERA per triduum, et cola.

VITRIOLUM ALBUM PURIFICATUM

R. Vitrioli albi Libram unam,

Aquæ fluvialis q. s.

SOLUTIONEM per chartam cola, et in frigido loco sepone, ut crystalli formentur.

VITRUM ANTIMONII.

R. Antimonii pulverati Libram unam.

In vase figulino non vitreato, igne primum mitiore, dein fortiore, calcinetur, bacillo terreo assidue agitando, donec fumum sulphureum non emittat. Hoc pulvere ad duas tertias partes repleatur crucibulum, quod operculo tegatur. Ignis tum subministrerur primum lenis, dein augendo, donec vitri instar fluat massa, et sollicitè cavendo ab illapsu carbonum vel alius materiæ inflammabilis. Vitrum bene fufum supra laminam æneam politum et calefactam effundatur.

Nota. Signum peractæ fusionis est, si materia in crucibulo detenta, apice virgæ ferreæ excepta, lavis, æqualis et transparentis appareat.

VITRUM ANTIMONII CERATUM.

R. Cerae flavæ Drachmam unam.

In vase ferreo liquefactæ adjice

Vitri Antimonii, in tenerrimum pulverem redacti, Unciam unam.

SUPER lenem ignem detine per semihoram, spathula continue agitando; deinde effunde in chartam, et frigefactum redige in pulverem.

UNGUENTUM ALBUM.

R. Olei Olivarum Libram semis,

Ceræ albæ Uncias duas,
Spermatidis Ceti Uncias tres.

MIXTA leni igne liquefcat, et assidue agitentur spathula lignea, donec refrixerint.

UNGUENTUM BASILICUM.

R. Olei Olivarum Uncias sedecim,
Ceræ flavæ Libram unam,
Resinæ Libras duas.

MIXTA et leni igne liquata cola, antequam refrixerint.

UNGUENTUM E CALAMINARI
LAPIDE.

R. Butyri recentis, non saliti,
Olei Olivarum, singulorum Libram unam,
Vini albi gallici Libram semis,
Lithargyri triti Unciam unam cum dimidia.

Mixta, continue spathula lignea movendo, coque lenissimo igne, ut penitus coeant; tum adde

Ceræ flavæ Libram semis,
Sevi ovilli curati Uncias quatuor,
Lapidis Calaminaris preparati Uncias duas.

MIXTURAM etiamnum calentem cola, et ejus partem superiorem serva.

UNGUENTUM E CERUSSA.

R. Axungia porcina curata Libram unam,
Cerussæ albæ, in tenerrimum pulverem trita, Uncias octo.

Misce bene pistillo ligneo agitando.

Nota. Si Camphoræ Drachmæ sex adduntur, erit UNGUENTUM E CERUSSA CAMPHORATUM.

H 4

UNGUENTUM CITRINUM.

R. Hydrargyri Unciam unam,
Acidi Nitri Uncias duas,
Digere in arena, ut Hydrargyrus solvatur;
solutioni calidæ admisce

Axungia porcina curata, liquefacta et in
spissitudinem tendentis Libram unam. $\dot{\iota}$
BENE subigendo in mortario vitreo fiat un-
guentum.

UNGUENTUM DIGESTIVUM.

R. Terebinthina veneta Uncias tres,
Vitellos ovorum duos.

Misce.

UNGUENTUM EMOLLIENS.

R. Olei Palmae Libras duas,
Cerae flavæ Unciam unam,
Leni igne liquata cola.

UNGUENTUM MERCURIALE.

*Vulgo Unguentum Neapolitanum sive
Coceruleum.*

R. Axungia porcina curata Uncias duas.
Leni igne liquata iterumque spissescenti
adjice

Hydrargyri Uncias duas.

Misce diligenter subigendo, donec hydrar-
gyrus penitus disparnerit.

UNGUENTUM NERVINUM.

R. Sevi ovilli curati Uncias octo.
Leni calore liquato adde

Olei Laurini Libram unam,
destillati, Terebinthinae Unciam
unam,

15 Olei destillati Succini Unciam semis.

MIXTA subigantur, donec refrixerint.

UNGUENTUM ROSACEUM.

R. Axungia porcina recentis, curata, q. pl.

Pistillo ligneo optime subige, continue infillando Aquæ Rosarum q. s. donec niveam acquisiverit albedinem; tum adde singulis axungia libris

Olei Bergamot Guttas duodecim.

UNGUENTUM SATURNINUM.

*Vulgo Unguentum Nutritum sive de
Lithargyro.*

R. Cera flavæ Uncias octo.

Leni igne liquata adde

Olei Olivarum Libram unam cum dimidia,

Aceti saturnini Uncias octo.

Ab igne remota subige bacillo ligneo, donec refrixerint.

UNGUENTUM E STYRACE.

R. Olei Olivarum Libram unam,

Resinæ,

Elemi,

Cera flavæ, singulorum Uncias septem.

Colligentur leni igne, et colatura expressæ subfrigida adde

Styracis liquidæ Uncias septem.

SUBIGE bacillo ligneo.

UNGUENTUM SUPPURANS.

R. Cera flavæ,

Resinæ, singulorum Libram semis.

Leni igne liquefactis admisce

Ceparum sub cineribus affatarum,

H 5

122 PRÆPARATA ET COMPOSITA.

Mellis, singulorum Libras duas cum di-
midia,

Saponis nigri Libram semis.

Coque leniter ad humiditatis evaporatio-
nem et colaturam expressam, dein subige bacillo
ligneo, donec refrixerit.



INDEX